

Oratio parascevastica ad festum nativ. Iesu, in qua sacrae coenae usus continuus a primis eius institutionis temporibus, ad nostrum usque aevum, ininterrupta serie continuatus ut argumentum invictum pro veritate relig. Christianae

Autor(en): **Huldricus, J.J.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1748)**

Heft 10

PDF erstellt am: **15.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394624>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

ORATIO PARASCEVASTICA

ad Festum Nativ. Jesu,

in qua

Sacræ Cœnæ Usus continuus

a primis ejus Institutionis temporibus,

ad nostrum usque Ævum, Ininterrupta

serie continuatus

Ut Argumentum Inviçtum

pro

Veritate Relig. Christianæ

proponitur a

JO. JAC. HULDRICO

Profess. Linguae Sanctæ in Schola Tig.

INter plurimas alias, quibus divina Christiano-
rum Religio spissum falsarum Agmen immen-
sum quantum antecellit, immo in infima illud
Falsitatis ac Profanitatis subsellia deprimit, Ve-
ritatisque sibi ac Θεοπραξίας palmam præripit,
Prærogativas, locum meritissimo suo obtinent,
Historiæ, cui Christianorum Fides innititur, Veri-
tas; & Dogmatum dein, quæ profitetur, elata
Sublimitas. Historiæ præit Veritas. Nemo sanus
rerum arbiter inficiari ausit omnem Fidei nostræ
certitudinem niti Veritate Historiæ magni illius
Hominum (si illos utrosque Homines dicere fas
est) Paris, Mosis Veteris & Jesu Christi Novi
Testamenti Mediatoris, quorum illum Jesum εν
σκιᾷ, hunc Mosen εν Αληθείᾳ Jure appellaveris.

Nemo

Nemo autem sanus iterum rerum æstimator & cui vel aliquid lævæ in parte mammillæ saliat, illorum Historiæ Veritatem negare sustineat, nisi eadem opera solem mera meridie lucere neget. Si enim verum est, Alexandrum M. Persarum Monarchiam debellasse; Augustum Romæ rerum positum esse; Neronem infanda, quorum reus peragitur, facinora patrasse; Constantinum Imperii sedem Byzantium transtulisse, eamque de suo Namine Constantinopolim dixisse, quod omne nemo tam opinosus & pertinax est, qui non credat: tum & verum est, Mosen intimæ apud Deum admissionis fuisse, Judaicum Jus condidisse; arcanum quod Nomen ejus præfert Volumen conscripsisse, quicquid Rituum Ceremoniarumque Israëlitis tradidit ab ipso Numine accepisse; In concessio quoque est, viculo Terræ Judææ, plaudentibus Angelorum Choris, illucescentibus novis Syderibus, accursitantibus ex terris alio Sole calentibus Magis, Jesum Christum natum fuisse, docuisse, miracula patravisse, exactissimæ Sanctitatis exemplar omni sua vita exscripsisse, Cruci suffixum esse, caligante ad triste spectaculum Sole, obtenebrata tota cœli facie, ac horrore maximo concussis & contremiscentibus terræ fundamentis, terræque mandatum tertio a sepultura die, ministrantibus Angelis, stupentibus monumenti custodibus revixisse; In Cœlum tandem post datam Patri in terris operam candidis corruscæ nubis quadrigis rediisse, ibi se & vivere & regnare, effuso in Apostolos suos ubertim Spiritu, manifestum fecisse. At si verum hoc & confessa res est, tum divina, super hac Veritate, tanquam talo suo, stat Religio. Historiæ Veritatem Dogmatum concomitatur maxi-

ma Sublimitas : Stentorea vox , centum ora & ferrea deberent esse latera singulatim de hoc argumento dicturo. Pelagus enim revera hic est, in quo nil nisi pontus & æther , ubi altum adeo non nimis urgendum, sed littus potius premen- dum erit. Quam sublimia sunt, Auditores, quæ hæc Religio docet de Deo, quem nobis describit ut Ens absolute perfectissimum, omnipotentia, omniscientia mirandum, æternum, immensum, optimum simul & maximum, sibi ipsi ad plenam Beatitudinem & aliis sufficientissimum, gloriosissi- mum, sanctissimum; dignum quod colamus, quod imitemur, cui nos totos consecremus, in cujus Cognitione, Amore, Fruitione votorum sum- mam, Felicitatis apicem collocemus. Quam sub- limia sunt, quæ eadem Religio tradit de Dei de- cretis, operibus, tum Naturæ tum Gratiae, de Mundi hominisque primæva creatione, de pecca- torum atrocitate, de malis omnibus ex hac mi- seriarum scaturigine obortis, de diversa piorum & impiorum sorte in hac vita, de diversissima eo- rundem conditione post illam. Hæc certe subli- mia sunt, quæ Religio nostra profitetur. Res ipsa id loquitur, iniquissimi cujusque conscientia suffragatur. At sunt longe sublimiora plurima: Quam sublime est præ aliis Mysterium Patris & Filii, in quo omnes thesauri Sapientiæ & Cogni- tionis absconditi latent; hoc certe continet Veri- tates ipso Cælo sublimiores, quas oculus non vi- dit, auris non audivit, & quæ in mentem homi- nis non ascenderunt, τὰ βάθη τῆ Θεῆ ἐνδοξοτάτη. ad quæ acies omnis hebescit, quæ ipsi angelici spiritus sacro silentio mirantur, ad quæ stupent & attoniti stant. Quam elatum adorandum Trinitatis
in

in Unitate & Unitatis in Trinitate Arcanum, & admirabile ac æternum Pacis Consilium. Quam stupenda divini, Dei Ter Maximi Filii ἐνοσίχθωνος. Illa certe omnia sunt, quæ, ὕψος, βάθος, μήκος, πλάτος sublimitatis habent, tremenda Angelis, stupenda Cœlitibus, adoranda Terrigenis. Quam sublime Myſterium Crucis, & ad miſellorum mortalium ſalutem inter ſtabulum & præſepe nati dulcis Pueruli, in ferali ligno inter dolores & cruciatus rurfum denati, æterni Patris, qui Filio ſuo, ut lapſos Homines, miſerandas orci victimas ſervaret, haud pepercit, inæſtimabile donum. Obteſtor nunc omnem conſcientiam, annon Religio, talibus veritatis Fulcris firmata, talibus ſublimibus Myſteriis & Dogmatibus, ut totidem Divinitatis radiis fulgens, cæteras omnes infinitis Intervallis poſt ſe relinquat, & tantum ab ipsis revera diſtet, quantum cœlum diſtat a terra? annon eo ipſo digna ſit, quam alte ſemper veneremur, quam ſuſpiciamus ut Divam noſtram, cui litemus unice, cui tuendæ, ſtabiliendæ, promovendæ, omnes noſtras actiones, dicta, cogitata dicemus & dedicemus, a cujus indefeſſo cultu & ornatu nos tandem adeo non abripi patiamur, quo potius omni ſtudio, cura & cogitatione omni in id continuo incumbamus, ut eam quavis ratione & omnis generis Argumentis ac inſtitutis ſartam & tectam, quoad in nobis eſt, conſervemus? Nullus conſido, Inſaniæ œſtro adeo erit percitus, ut contrarium tueri vel ſolum cogitet Ego ſane de debito hoc divinæ noſtræ Religioni æſtimio, & ex eo promanante ejus promovendæ ſtudio vivide adeo ſum perſuaſus, ut hac præclara mihi apud vos perorandi conceſſa occasione, officii mei eſſe ra-

tus fuerim, experiri vires meas, & tentare, annon & ego ad illam ornandam & illustrandam conferre aliquantulum valeam. Cum itaque Auctoritate venerandi sacrorum Antistitis, quæ si reliquis omnibus, quos receptus antiquitus Mos hujuscemodi solennibus Feriis in hanc Cathedram propellit, sacra esse debet, mihi id multo magis innumeris nominibus sit oportet, Oratoris personam hac profesta Die agere fui jussus, statim quidem decrevi Thema aliquod sacrum, qualia Oratoribus, sacris his Feriis dicentibus, in quantum ego quidem conjicere valeo, convenire judico, eligere; de quo vero potissimum dicerem, in dubio diu fatis, ut fieri assolet, hæsi: Ita animi in pectore incerti certabant decem, donec ob oculos venisset Venerandi, Celeberrimi & Eruditissimi ZIMMERMANNI nostri Dissertatio pia, erudita ac solida, salutaria quædam ad Verum sacræ Cœnæ Usus, Monita complectens; Dissertatio inquam pia, erudita ac solida, ex sinceræ mentis pio conatu conscripta, in qua Clariss. Autor πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, (cujus scripta pleraque nescio quo fato Invidiæ spiculis continuo sunt exposita) in qua mirari videtur, cur hætenus nemini Argumentum pro Veritate sanctissimæ Religionis desumere in mentem venerit, ex sacri Mysterii Crucis Μνημοσύνης, Cœnæ putō sacræ Usu historico, a primis ejus Institutionis temporibus ad nostram usque ætatem non interrupta serie continuato. Illico ergo apud animum constitui de novo hoc Religionis Christianæ Veritatem insigniter probante Argumento quædam in Festo, quo divini Sacræ Eucharistiæ Institutōris nativitatem æque ac mortem religiosi nostris Actibus

Actibus celebramus, differere. Ausurus quidem sum, lubens agnosco, facinus majoris abollæ. Argumentum est utique eximium & disertiori Ore, exercitatore Ingenio, quo me misere destitui ingenue fateor, dignum. Mihi tamen illud sumsi, & ut ut meus etiamnum vix audeat rem tentare Pudor, ut ut pertimeam, ut & facundia deserat me & lucidus ordo, sumsi nihilominus, prout angusta, quæ mihi domi est res & curta suppellex tulerit, id pertractaturus i. e. ut *Plautus* fere hunc huic Phrasi sensum dat, frigide satis tractaturus. Non id vobis alienum sit, Auditores: Mola falsa litant, qui thura non habent, & ut quimus, quando ut volumus non licet, infra rem dicit, qui non potest supra. Juvate me modo in Illustri vestro Confessu balbutientem, & dimidiata vix verba tentantem vestra æquanimitate, & si vires ad Argumentum illustre digne elaborandum mihi defuisse, vobis, ut Jure vereor, judicandum sit, laudate solum voluntatem & donate hanc injuriam ejus Sinceritati, quam mihi adesse promittere audeo.

Postquam nunc satis ampliter exorsi sumus, res ipsa erit aggrediunda. Si ex continuo S. Cœnæ Usu Veritatem Religionis, cujus ipsa Sacramentum est, probare satagimus, ante omnia nobis probare incumbit, hunc Religionis actum sacrum revera a Christo denato, per omnem seculorum decursum, ad nostrum usque ævum non interrupta serie obtinuisse; Age itaque illud ostendamus. Ne autem vos tædeat, Auditores! me, per omnia secula citato satis Pede iturum, attentione vestra sequi.

Sacra Cœna , ut a prima ejus ordiamur Institutione , est illud spirituale & divinum Epulum , quod a Christo Orbis Salvatore , in perpetuæ acerbæ mortis & beneficiorum inde defluentium suave & dulce , ad secundi adventus sui ultimum diem , duraturum *Μνημόσυνον* , sequentibus sanctam & divinam simplicitatem spirantibus Ceremoniis fuit institutum :

Jesus cum XII. suis Discipulis accumbens assumpsit externa Panis & Vini symbola , eaque distincta actione a naturali ad sacrum Usus , *εὐλογίας* & *εὐχαριστίας* præmissis actibus , præparavit , destinavit & sanctificavit , ut essent Sacramentum Corporis & Sanguinis sui , non Natura , sed divina Institutione : Sanctificata eadem fregit & effudit , quo Corporis sui in Cruce Fractionem ac Imolationem & Sanguinis Effusionem designaret ; fracta & effusa distribuit Discipulis , quo ita significaret se sui Communionem , omniaque ex illa plenis alveis profluentia Bona in Cruce paranda ipsis , omnibusque post illos fidelibus gratiosum offerre , eosque ad illa liberalem invitare ; ad eorundem Distributionem Verba hæc fudit : *Hoc est Corpus meum pro vobis traditum ; Hic est Sanguis meus pro multis effusus ad Remissionem Peccatorum , comedite Panem in mei Memoriam , bibite ex Calice omnes ;* Quorum verborum emortualium brevem hunc sensum esse , omnia suadent : Hic Chari ! vobis exhibeo indubitata Signa & Sigilla Corporis & Sanguinis mei , quicumque illa vera & infucata in me Fide ex certis & indubitatis Notis , in Verbo meo sat superque delineatis , antea intime persuasus se mecum tanquam Causa Salutis arcto nexu esse
con-

conjunctum, assumerit, pro illius delictis certe Corpus meum in fatali Crucis ligno erit fractum, & Sanguis effusus; ille partem habebit in Meritis Passionum mearum indubitata, nec erit, cur de eo incertus titubet, cum ipsi Corporis mei, quod quo minus Natura exhibeam, Impossibilitas cogit, loco, in proprias manus tradam ejus indubium Repræsentamen.

Divinum nunc hoc Institutum ab Apostolis ut Institutum Dominicum fuit acceptum & Ecclesiæ traditum, nec non per primum a Christo denato seculum diligentissime & frequentibus iteratis vicibus celebratum; Ad Christi etenim exemplum, qui *μετὰ τὸ δεῖπνον* instituerat Eucharistiam, Agapis frugale Convivium S. Cœnæ fuit præmissum, dein post temporis Intervallum celebratæ eidem additum, usque dum, cum in turpem luxum degenerare inciperet, non tantum e sacris Aedibus ad privatorum domos rejiceretur, sed & plane e Fidelium Conventibus, utpote ut nulla pars Cœnæ essentialis, sed ut actus Cœnæ Institutionem forte concomitans consideratum, exterminaretur & in ejus locum succederet Mos colligendi inter Sacra Eleemosynas, qui adhucdum obtinet. Asserti testem habemus LUCAM, hic enim in Libro, quem de Rebus Apostolorum Gestis consignavit *Cap. II.* refert; illa tria credentium millia, quæ post Christi ascensum sacro Baptismatis fonte fuerant tincta, perseverasse in Communionem & Fractionem Panis, quam nonnulli Patrum & Recentiores plerique de Eucharistiæ celebratione intelligendam esse sentiunt, suisque Argumentis abunde probant. Et seculo hoc jam me-

diam partem elapso Paulus Corinthios quidem ad Dominicam Cœnam celebrandam convenisse dicit in unum, sed suæ *Alexias* vitio, rem sanctam ita totam corrupisse, ut nilminus egisse viderentur, quam id, cujus causa in Ecclesia convenerant. Seculo adeo primo S. Cœnæ Usus continue viguisse in confesso est; etiamsi enim mature fuerit polluta, nunquam tamen prorsus est destructa, abusibus apostolica Censura statim rursus correctis.

Seculo, quod Apostolicum excipit secundo, Cultui divino in genere multum Ceremoniarum citra necessitatem fuit additum, quod boni gravesque Viri haud absque indignatione pertulerunt; etiamsi id certe non malo consilio, sed sufficientis Prudentiæ defectu fuerit factum, juxta cæteras enim rationes, quibus, ut Rituum sacrorum numerum augerent, fuerunt inducti, & hæc erat, quod ita se eo facilius calumniam atrocem, qua Atheorum nomine infamabantur Christiani, depellere posse sperabant. Etenim, in Libello nostro, in quo ex professo hac de materia egimus, observavimus, præcipuam Criminationis hujus occasionem fuisse, quod Tempora, Simulacra, Aras, Victimam haberent nullas, reliquaque hominum, sensibus externis duci se ut plurimum patientium, oculos ferenti Pompa, in Cultu suo religioso prorsus essent destituti. Omnia itaque conquirentes primævi Ecclesiæ Doctores, quæ ad hanc Calumniam destruendam facere possent, Ritus etiam externos & Ceremonias arripuerunt, quibus sensus caperentur eorum, qui, quod Christiani his omnibus carerent, eos ob hoc ipsum Atheos esse

esse vociferarentur. Hinc & S. Cœnæ simplicissimos, & ab omni externa specie longe remotos hætenus Ritus auxerunt: Partes Panis & Vini consecrati miserunt ad absentes, ægrotos & carceribus inclusos, ut & pœnitentes in extremo mortis positos periculo, Dilectionis & Unitatis fidei testandæ ergo; ut probant *Henn. RIXNERUS de Ritibus Veterum circa Eucharistiam*, & diligens ille ac incomparabilis Antiquitatum Christianarum scrutator BINGHAMUS in *Origimibus Ecclesiasticis*: Magnam insuper, nondum tamen absolutam, & huic Ritui ad salutem impetrandam adscripserunt necessitatem: Mos item obtinere cœpit Vinum non purum sed aqua mixtum adhibere, addita explicatione, Vino intelligi Sanguinem Christi, & Aqua populum, & sic populum Christo adunari, ut misceatur vinum aqua. Probant hæc omnia frequentia Patrum hujus Seculi loca, quorum unum & alterum, ne in cassum videamur locuti, afferre juvabit. IGNATIUS, in *Epistola ad Philadelphæos*, quæ in genuinis numeratur, scribit: *Una est Caro Domini nostri Jesu Christi, & unus Sanguis, qui pro nobis effusus est, unus item Panis omnibus fractus, & unus Calix omnibus distributus.* JUSTINUS MARTYR, cujus diversa Loca obvia sunt, in *Apologia secunda*, universum Eucharistiæ ritum describit, & ad minutias usque persequitur, ac juxta cætera ait: *Postquam gratiarum Actionem Præsidentem absolvit, & Populus acclamavit Amen, Diaconi distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, Panem, Vinum & Aquam, & ad absentes perferunt; atque hoc alimentum vocatur Eucharistia.* Et in *Dialogo cum Tryphone* habet: *Panem noster nobis Christus tradidit faciendum in Recordationem, quod*

ipse Corpus factus sit, eorum Causa, qui in ipsum credunt, & poculum, in Recordationem Sanguinis sui tradidit faciendum gratias agentibus. IRENÆUS, L. IV. de Pane in S. Cœna ait: Qui e Terra Panis est percipiens Vocationem Dei, jam non communis Panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & caelesti. Et L. V. Temperamentum Calicis & κερμαίνεον ποτήριον memorat. CLEMENS ALEXANDRINUS in L. I. & II. Pædagogii sui, spiritualis Cibi & Potus, quibus nos Christus in Eucharistiæ convivio excipiat mentionem injicit. TERTULLIANUS tandem, multis nominibus exeunte hoc Seculo ce- leber. haud uno Loco de S. Cœna loquitur. In C. III. de Corona Militis: Eucharistiæ Sacramentum, ait, & in tempore victus, ut omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præsidentium sumimus. L. IV. adver- sus Marcionem Institutionis rationem describit, de pane ajens: Dominus acceptum panem & distributum suis Discipulis, Corpus suum illum fecit; Hoc est Corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei. & c. XVII. Libri de Anima, de Vino: Jesum consecrasse Vinum in memoriam Sanguinis sui. In Apologetico diversis tandem capitibus ita loquitur, ut Cœnæ S. usum sua ætate frequentem obtinuisse apertum fiat & manifestum.

Seculo, quod sequitur III. auctis jam plus æquo S. Cœnæ ritibus, novæ rursus additæ fue- runt accessiones: Major apparatus & longiores preces ad ejus celebrationem adhiberi cœptum est; Pœnitentes & Catechumeni illa excludebantur; recepta est communiter sententia ad salutem ob- tinendam Eucharistiæ participationem summe esse
necessa-

necessariam , unde & defluxit , quod infantibus quoque eam porrigi vellent , vixeritque hoc seculo Scriptor , CYPRIANUM puto , qui illud omitti nequaquam posse argumentis contenderet , maximum pro sua opinione petens præsidium ex *Job. VI. 53.* Ex illo superiore seculo jam recepto more mittendi S. Cœnam ad ægrotos & captivos , orta quoque est privata ejus consecratio in ædibus ægrotantium & carceribus martyrum & confessorum ; consuetudo itidem consecratorum elementorum aliquam partem asservandi vel in Ecclesia , vel in privatis ministrorum ædibus , quo necessitatis casu inopinato superveniente in parato eam haberent ; ita mos quoque concedendi religiosioribus deferre aliquas Eucharistiæ particulas secum domum , quo quotidie , durante præprimis persecutionum vi , illis participare possent ; hanc enim S. Eucharistiam secum domum auferendi assuetudinem non apostolicam , sed hoc demum seculo ortam fuisse indubitatum est , uti & Argumentis sufficientibus probatum id adversus BARONIUM dedit *Samuel BASNAGIUS in Anal. Eccles.* Disputatur denique ad hoc seculum inter eruditos , an eo decurrente pane azymo , an vero fermentato usi fuerint , & plures utrumque promiscue adhibitum probabile putant , inter quos illustris MOSHEMIUS , qui hoc ex consuetudine ab Apostolis ipsis introducta facillime potuisse fieri putat , adeo ut viventibus adhuc Apostolis , qui ritus sacros non ad essentiam Religionis a se traditæ pertinere duxerint , receptum fuerit , ut heic panis azymus , illic fermento conditus usurparetur , cum quibus & consentiunt ea , quæ magnus BULLINGERUS noster *Sermone 9. Decadis 5.* pronuntiat.

Sed argumenta ab acuto antiquitatum ecclesiasticarum Scrutatore BINGHAMO L. suo XV. C. II. adducta, mihi saltem adeo stringere videntur, ut contra horum virorum sententiam cum eo existimem, extra omnem dubitationis aleam positum esse, pane fermentato solo usos fuisse primos Christianos per mille annorum decursum ad seculum XI. & XII. usque, quibus demum azymorum usus invaluerit, quod & suo calculo probat celeberr. BASNAGIUS in *Historia Ecclesiæ*. Si & hujus nunc ævi scriptorum requireret quis testimonia, illa possent produci, præter CYPRIANUM enim jam indicatum, qui haud uno in loco de S. Cœna loquitur, & juxta reliqua in *Epistola 63. Aquarios* i. e. illos, qui timidi nimis aqua sola communicabant, ne nimirum Vini odor post communionem remanens, ipsos christianos esse, judici deferendos, proderet, reprehendens, ut simplicitate & ignorantia peccantes, ipsis objicit: *Aquam haud sufficere ad repræsentandum Corpus Christi, & si Vinum in Calice desit, etiam Repræsentationem Sanguinis Jesu deesse.* Ac in *Libro de Lapsis*, eos acriter carpens, qui communionem citius nimis, quam par erat, rursus petere auderent, ait: *Sacrilegi! Murmuratis & ira accendimini adversus Patres vestros, ideo quod manus vestræ pollutæ nondum receperunt corpus Domini.* Præter hunc Cyprianum, inquam, habemus ORIGENEM, qui in *Homilia sua 15.* adversus eos disputat, qui existiment, panem Domini, quo nomine Eucharistia notetur, sanctificare omnes, qui eum comedant, & in 16. ait: *Christianis omnibus solemne esse de dominico Calice bibere;* habemus DIONYSIUM ALEXANDRINUM, insignem, ut HIERONYMO vocatur Auditorem
ORI-

ORIGENIS, qui in *Epistola ad Basilidem* de non admittendis ad communionem menstruatis disputat; habemus & ARNOBIUM, qui in *Pf. XXII. Expositione, Ecclesiam in se habere*, ait, *Mensam, unde det panem credenti*, per quam nonnisi intelligit mensam, ad quam celebrabant Eucharistiæ sacrum ritum; & alibi: *Eandem habere calicem ex quo ingurgitet illos, qui verbum prædicent*; tandem in *Ecclesia recipi perhibet panem, qui cor fortificet, & vinum quod illud exhilaret.*

Seculum IV. observantibus omnibus Historiæ Sacræ scriptoribus jam superstitionibus ex Ethnismo oriundis fuit conspurcatum, & vera Religionis indoles obscurata ac oppressa: Hinc per canones synodales tot, ut quoad ritus reliquos omnes, ita & circa illos S. Cœnæ, per legem intruduntur minutiae, ut sine tædio legi sæpius nequeant. Invaluit usus vasorum aureorum & argenteorum, quod poterit colligi ex illis PRUDENTII, quibus præfectum Urbis regiæ, Laurentium Martyrem alloquutum perhibet in Hymno *περὶ σεφάων II.*

Hunc esse vestris Orgiis:

Moremque & artem proditum est:

Hanc disciplinam fœderis:

Libent ut auro Antistites;

Argenteis scyphis ferunt,

Fumare sacrum sanguinem;

Auroque nocturnis sacris

Adstare fixos Cereos.

Administrari dein cœpta est S. Cœna ad sepulchra martyrum, ut & cum funera deducerentur, quo ex abusu postmodum missæ in honorem sanctorum & pro mortuis natae sunt; etiamsi tum temporis

poris nondum fuerant in ea opinione, ac si S. Cœna esset sacrificium expiatorium pro mortuis, sed illam solum in funerum solemnibus celebrarent, ut ad ardentiores Preces, qui iis intererant, se invicem incenderent, quibus & uberiolem divini solaminis vim impetrarent lugentes, & alii levamen afflictionis, qua forte premerentur, obtinerent, ut evincit BUDDEUS in *Diff. sua de Origine Missæ*. Sacris Oratoribus porro liberum amplius non fuit de Sacris his aperte & simpliciter pro concione dicere, quod etiam sensim sensimque *Disciplinam* introduxit *Arcani*, quæ in Ecclesia Latina ad seculum VII. usque duravit, & in Græca hodiernum ex parte adhuc viget. Inducti denique hoc seculo sunt varii Communionis gradus, unde subnata nomina Communionis laicæ, clericali oppositæ, & Communionis peregrinæ clericorum delinquentium. Facilis nunc rursus nobis esset opera, integra denuo testium caterva hæc omnia firmare, sed adducemus modo ex millibus unum & alterum, unde generalis Cœnæ usus patescat: EUSEBIUS in *Præpar. Evangelica* L. V. C. 3. ait: *Quemadmodum Melchisedec nonnisi Panem & Vinum Abrahamo obtulit, ita Jesus Christus, & qui illum sunt sequuti, cultum spiritualem celebrantes inter omnes Orbis Nationes Mysterium Corporis & Sanguinis Jesu Christi repræsentant Pane & Vino.* & L. I. C. 10. *Ecclesiam, inquit, celebrare Memoriam Sacrificii Christi in Sacra Mensa Signis Corporis & Sanguinis ejus.* CYRILLUS HIEROSOLYMIT. in *Catecheticis Myst.* 4. Postquam Catechumenis repræsentavit, illos non dubitare debere, quin recipiant Corpus Jesu Christi, dum ille, qui in nuptiis Caanæ Aquam permutarit in Vinum, mutare idem debeat panem in
corpus

corpus suum ; simul quoque illis explicat , qua ratione id fiat , addito Monito : *Fiducia has res accipiamus ut Corpus & Sanguinem Jesu Christi , cum Corpus sit sub Typo Panis & Sanguis sub Typo seu figura Vini. & Myst. 5.* Neophitam suum docet , quo digne modo sacram Mensam accedere & Corpus Christi recipere debeat. BASILIUS in *Epistola ad Cæsariam* asserit : *Singulis diebus communicare & participare Sacri Corporis & Sanguinis bonum est & fructuosum. & Epistola 289.* Ritus recipiendi panis describens ait : *Ministrum Portionem Eucharistiæ in manum Communicantis tradere , qui eam dein fortiter admodum teneat , ac ori admoveat ; parum interim interesse , an Communionis participans e manu Ministri recipiat unicam solum , aut plures Panis fracti particulas.* GREGORIUS NAZIANZENUS Basilii Amicus hortatur in *Oratione de Paschate* ; *sine pudore & dubitatione Corpus ede & Sanguinem bibe , si modo vitæ desiderio teneris ;* Et alibi : *Illum , qui Sacramentum Cœnæ despiciat , reum corporis & sanguinis Christi pronuntiat.* *Oratione item XI.* refert miraculum , quod acciderit sorori suæ , utpote quæ ægrotans fuerit sanata , ardore precum suarum , & mediante Eucharistia , cum irrigarit lachrymis scultula quædam preciosorum antityporum corporis Christi , quæ manibus tenuerit inclusa ; & tandem *Oratione XIX.* in Vita Patris sui , ut memorabile quid refert ; *Illum ægrotum , se in Ecclesiam duci , imo ferme trahi iussisse , ibique brevibus verbis consecratione facta , dum longiores preces adhibere debiles corporis vires haud permiserint , sacram Eucharistiam participasse , statimque in melius fuisse mutatum paululumque convaluisse.* HIERONYMI dictum est : *Dominica Cœna omnibus debet esse*
com-

*communis, quia Christus omnibus Discipulis, qui aderant, equaliter tradidit Sacramenta; Idem quoque in Tractatione Cap. XI. 1. Ep. ad Corinth. Eucharistiam comparat amicitiae pignori, quod nobis, in regiones alio sole calentes abiturus relinquat eo fine, ut, quotiescunque aspiciamus pignus illud, memoriam rursus recolamus amicitiae & benefactorum absentis amici; ideoque etiam, nos memoriali hoc opus habere asserit, per omne illud tempus, quod sit effluxurum ad illud momentum, quo ipse (Jesus nempe) sit denuo venturus. CHRYSOSTOMUS tandem in Homiliis suis innumeris ferme Locis de S. Epulo & decenti illius usu pro consueta sibi factundia perquam eleganter differit, juxta cœtera crebrioris Communionis neglectum in Homilia III. acriter his reprehendens: *Ingentem & pæne inauditam hanc populi multitudinem, quæ modo adfluxit, tantaque cum attentione Sermone[m] audit meum, sæpenumero tempore illo perhorrendo requisivi, & tamen nunquam videre potui, atque ita me vehemens capit suspirium, quod cum ego disputo, vester consors, studium adhibetis & ingenium, alter alterum jactat, ut ipse propius adsit; quum autem ipse Christus communis Magister semet in sacris mysteriis ostensus est, vacua desertaque Ecclesia redditur. Proh fidem hominum Christianorum, quo pacto isthæc veniam consequantur? facit profecto vestra ista sive desidia sive negligentia ut laudem studii illius auscultandi omnem amittatis. & L. III. de Sacram. Homil. 21. Peccatores interrogans, qua fronte coram tribunali Christi se sistere ausuri sint, cum receperint corpus ejus manibus pollutis & labiis impuris: *An audetis, verba ejus habent, appropinquare sacrificio illotis manibus? Cogitate probe, quid in manum***

num vestram receperitis, ne quaeso eo procedatis audaciae, ut pugno vestro cedatis quemquam, neque crimine dehonestetis manum, quam Deus honoravit præclaro & pulchro adeo Dono.

Seculum V. quod attinet, in illo Eucharistiæ celebrationem quidem viguisse certum est, sed maculis, quibus ejus primæva facies jam fuerat conspurcata additæ adhuc maculæ. Necessitas S. Cœnæ hucusque summa judicata, absoluta decreta est. AUGUSTINUS, qui circa hanc materiam multus est, sæpe numero de ea loquitur, ut de re plane confessa. CYRILLUS ALEXANDRINUS hac de re in *Comment. in Johannem* ait: *Illi, qui non receperunt filium per Sacram Eulogiam* (per quam sine dubio nihil aliud intelligit, quam panem & calicem benedictionis) *privati sunt vita, quæ in sanctificatione & felicitate consistit.* & ISIDORUS PELUSIOTA L. II. *Epist.* 52. asserit: *Divina Mysteria participari, absque quibus obtineri nequeant remunerationes Cæli.* Hinc non solum data, ut hæctenus, infantibus, sed & insuper moribundis omnibus ut *τελευταῖον ἐφόδιον*, *ultimum viaticum*, cum antea saltem illis porrigeretur, qui expresse id petiissent, aut qui in medio pœnitentiæ cursu morbo gravi opprimerentur, ne mori pacis & spei expertes necessum haberent. Quid quod porrecta & in os ingesta mortuis ipsis, si mors pœnitentes aut alios ex improvviso oppressisset. Ortum etiam nacta est hoc seculo appellatio illa Eucharistiæ, hodiernum apud Romanenses frequens, qua *Missæ* audit a dimissione cœtus Sacri, vel partis ejus, nempe Catechumenorum, unde *missa catechumenorum*, vel dein totius, post peractum cultum integrum, in cujus fine inclamabatur a diacono; *Ite, missa est.* Præter jam
pro-

productos & alii hujus seculi scriptores prostant, qui frequenter in suis scriptis de S. Cœna loquuntur. THEODORETUS in suis *dialogis adversus Eutychianos*, Eucharistia ad defendendum suum errorem abutentes, disputans, illis rationem, qua symbola S. Cœnæ imago veri Corporis Christi sint, explicat, & juxta cœtera ait: *Jesum symbola honorasse nomine corporis sui, non mutando naturam, sed adjungendo naturæ gratiam: Cum quibus consentiunt, ea, quæ Gelasius Papa extremi hujus seculi, habet, ajens: Substantia seu natura Sacramento inesse haud cessat, & id, quod celebramus est imago aut similitudo Corporis Christi.*

Seculo VI. in loco de Eucharistia varie loquuntur Patres, tum quoad ejus Sacrificium, tum quoad Præsentiam Christi in eo realem, plurimis mysticam magis & spiritualem, quam corporalem manducationem & præsentiam intendentibus, quod vel ex trigæ scriptorum seculi hujus locis, quæ exempli gratia e multis attulisse sufficiet, patere poterit. FULGENTIUS *Episcopus Rupsensis* in cujus scriptis haud uno in loco de S. Eucharistia agitur, ubique sacrificium Panis & Vini vocat *commemorationem carnis Christi, quam obtulit, & Sanguinis, quem effudit pro nobis.* PRIMASIUS in I. Cor. XI. ait: *Jesum dando nobis Sacramentum, reliquisse eo ipso ultimum memoriale eo fine, ut quoties edamus de pane hoc & bibamus de calice hoc, in animum revocemus, Christum esse pro nobis omnibus mortuum, hinc & appellari Corpus Christi, ut si ejus recolamus memoriam, haud simus ingrati, ut si quis moriens nobis reliquisset pignus, haud possemus id considerantes nobis temperare a lachrymis, si eum enixe amassemus.* HESYCHIUS

US tandem *Pastor*, aut ut alii volunt *Episcopus Hierosolymitanus* in *Levit. L. I.* ait : *Si Jesus haud fuisset crucifixus non vesceremur sacrificio corporis ejus ; ast nunc hoc nutrimento vescimur , dum recipimus memoriale passionum ejus.* Cæterum a GREGORIO MAGNO ejus ætatis lumine maximo *Canon missæ*, quem vocant, seu nova S. Cœnam magnifico splendidoque apparatu administrandi ratio præscripta & injuncta est. Concilium *Autisiodorense* in Gallia decrevit, ut fœminæ sacra Symbola amplius nuda manu haud reciperent, sed tecta ac obvoluta linteolo albo. Permissum adhuc quidem hoc seculo in oriente & occidente fuit asservare S. Cœnam in casu necessitatis, eamque secum asportare domum ; ast tamen in oriente quoque obtinuit mos, Reliquias S. Cœnæ igne concremandi : nolebant nempe panem sacris usibus semel destinatum, in usum profanum & promiscuum rursus redire ; & in Ecclesia Constantinopolitana, ut ex EVAGRII *Historia Eccles.* patet, usitatum fuit, ut pueri impuberes Eucharistiæ celebratæ reliquias manducarent, quem morem & in occidente alicubi in usu fuisse docet *Canon Matisconensis Synodi secundæ VI.*

Seculo VII. superstitiones circa S. Cœnæ celebrationem rursus novæ fuerunt invecæ. Vini loco in Gallia distribuebant lac, in Hispania utebantur uvarum botris, quos distribuebant singulis Communicantibus. Panem miscebant vino, aut minimum saltem tingebant illum in vino & ita tinctum distribuebant populo. Mortuis S. Cœna frequentius quam hactenus in os fuit ingesta, cumque iis sepulta : reservari apud occidentales cœpta in quodam Ecclesiæ angulo, sine dubio, ut parata esset pro ægrotantibus. *Lingua latina celebrari*

brari inchoata etiam in recens plantatis Ecclesiis, ubi nondum nota, sed adhuc peregrina erat, & sacerdotes splendidiore ornatu, vestibus fulgentioribus induti fuere. Latinorum enim novi pontifices semper novis ceremoniis veteres auxere: *quasi neminem, ut scite Illust. MOSHEMIUS, digne rem Christianam administrare posse duxerint, nisi qui populum inusitatis spectaculis & mimis oblectaret.* Græcorum vero Antistites hoc seculo instituerunt per festos Dies sacrae Quadragesimæ celebrationem Missæ præsanctificatorum, qua servabatur panis consecratus die præcedente in dies sequentes Communionis, quibus Altari denuo imponere, sine nova consecratione, atque injicere illum vino moris erat, quo vinum acquireret sanctificationem a tactu panis jam consecrati antea & ita præsanctificati (unde & nomen Missa recepit). Dein etiam Eucharistiæ elevationem introducere sunt exorsi, sed non eo fine, ut adoraretur ab adstante populo, verum eo fine solum, ut hoc ritu elevationem Jesu in Crucem, Mortem item ejus ac Resurrectionem designarent, ut GERMANUS *Constantinopoli Patriarcha* explicat. Interim hujus seculi scriptores mysterium S. Cœnæ explicabant ut illi præcedentis ævi; ISIDORUS HISPALENSIS de *Offic. Eccles.* agens L. I. C. XVIII. claro & distincto modo naturam Sacramenti delineat; *Panis, ait, quem frangimus est Corpus Jesu Christi, qui dixit, Panis ego vitæ sum, & vinum est sanguis ejus, scriptum enim est, vitis vera sum.* MAXIMUS vero *Abbas Constantinopolitanus* in *Scholiis in Dionys. Areop.* expresse ait: *Panem Sacrum & calicem benedictionis esse Signa symbolorum sensibilium, imaginem rerum, quæ sint in cælo, & quæ majorem habeant veritatem, symbolum*

bolum & non veritatem ipsam. Res V. T. fuisse umbram, illas N. T. esse imaginem; nos veritatem verodemum possessuros in seculo venturo.

Seculo VIII. Cœnæ utique etiam invenimus vestigia, sed a prima ejus institutione prorsus aliena. *Missarum* hinc *Solitariarum*, & *pro defunctis* initia cernere datur, licet nondum ab omnibus fuerint probatæ; sub seculi enim hujus finem & sequentis initium quæstiones agitatæ sunt; an fas sit Sacerdotem solum divina officia celebrare nullis præsentibus, quibus dicat, *Pax vobiscum, Dominus vobiscum*, nullis, qui respondeant, *Dominus tecum?* Et *Concilium Moguntiacum ac Parisiense* ideo decreverunt, has solitarias Missas inhibendas esse, utpote autoritati apostolicæ refragantes & tanto Mysterio indignas. Cæterum & horum & proxime antecedentium temporum eruditi Eucharistiæ Sacramentum simile judicarunt Sacramento Baptismi, cum in utroque viderint creaturam visibilem, conferentem gratiam invisibilem; Aquam in Baptismo, Panem & Vinum in S. Cœna, ostendentes, figurantes & significantes Corpus & Sanguinem Jesu: & cum inter se de levissimis minutiis continuo acerbè disputarent, in mediis his diffidiis tamen in hoc ipsis conveniebat, Sacramentum Cœnæ esse Figuram Corporis Christi. Venerabilis BEDA Latinæ Ecclesiæ hoc seculo oraculum juxta cœtera innumera, quæ huc tendunt, *Christum*, ait, *Agnum Paschalem destruentem, in ejus locum substituisse Corpus & Sanguinem suum, in figura Panis & Vini; & alibi, manducationem, quæ fiat in Eucharistia, pure spiritualem & sacramentalem esse, sub Pane enim & Vino propositis modo visibili subintelligi rem invisibilem, verum Corpus & Sanguinem Jesu, quæ*

sint vera caro & verus potus , non ad implendum ventrem , sed ad pinguem faciendum spiritum. Quid ALCUINUS Præceptor CAROLI M. honor seculi sui, heic senserit , vel patere poterit ex sola ejus explanatione loci Johannei C. VI. 56. Hoc , ait , est edere hanc carnem & bibere hunc potum , manere in Christo , & Jesum habere manentem in se , & ita , qui non manet in Christo , & in quo Christus non manet , haud edit , sine dubio , carnem ejus spiritualiter , etiamsi corporaliter & visibiliter (dentibus) comprimat Sacramentum Corporis & Sanguinis Jesu , sed potius edit & bibit ad sui condemnationem Sacramentum rei adeo magnæ , quia impurus præsumsit appropinquare Sacramentis Jesu , quæ digne nemo recipit , nisi qui purus est. CAROLUS M. ipse ad præceptorem ALCUINUM scribens ait ; Jesum cœnantem cum discipulis , fregisse panem , & ipsis distribuisse calicem in figuram Corporis & Sanguinis sui , dantem ipsis magnum Sacramentum nostro bono.

Seculo IX. doctrina dogmatica de Eucharistia hætenus satis pura etiam per triginta adhuc seculi hujus priores annos , (quod THEODULPHI Episcopi Aurel. AGOBARDI Episcopi Lugdunensis , & AMALARIi dictis facile esset probatu) conservata , fatalem revolutionem est experta. PASCHASIUS enim RADBERTUS composuit Libellum de Corpore & Sanguine Christi , in quo primus Transubstantiationem defendit , & in systema redegit , licet sub paulo alia Idea , quam creditur nostro ævo , non enim via Transubstantiationis , sed creationis potentialis , Vinum & Panem in Corpus & Sanguinem Christi permutari asseruit. Ad firmandam suam sententiam produxit varia ex Patri-

bus

bus dicta, sed versuta falsatione & suppressis locis operum, ex quibus illa desumsisset, ne fraus illico patefceret. Sectatores hujus opinionis quidem habuit, ast numero paucos, e quibus quatuor modo sunt, quos producere est operæ pretium; HINCMARUS nempe *Episcopus*, JOANNES *Diaconus Historicus* GREGORII MAGNI, REMIGIUS *Monachus*, & PAULUS *Diaconus*. Multo plures contra ipsum, statim ac manuscriptum ejus pluribus notum esse inciperet, oppugnatum iverunt, alii aperte se contra *Paschasium* scribere professi, alii dogma saltem de præsentia reali Corporis Christi oppugnantes, tecto Dogmatis Autore, inter quos præcipui fuere nobiles hujus seculi scriptores RABANUS MAURUS, RATRAMNUS, *Job.* ERIGENA *Scotus*, FLORUS, WALAFRIDUS STRABO, Anonymi alii, Episcopi, Archiepiscopi, imo integræ Ecclesiæ, ut LUGDUNENSIS. Ast cum Disceptatores hi Præsentiam Christi in S. Cœna, quam hætenus Christiani simpliciter, ratione qua id fiat indeterminata, crediderant, determinare semel essent ausi, nefaria quorundam curiositas frœna laxavit, & varias discrepantes hæc de re opiniones protrusit, quæ ex parte futiles & ineptæ adeo fuere, ut Sacrum Mysterium illis miserandum in modum potius deformatum, quam honestatum fuerit, præprimis cum simul etiam inciperent illo varia adhuc ratione abuti. Eo nempe participarunt ad se liberandum a criminis imputati suspicione. THEODORUS *Papa* Damnationem *Pyrrhi* signavit non solo atramento, sed Vino Eucharistiæ atramento intermixto. Episcopi quoque illi, qui damnarunt PHOTIUM sententiam suam obsignarunt calamo tincto sanguine consecrato,

crato ; ac CAROLUS CALVUS cum Comite BERNHARDO se rursus reconcilians , quo melius ipsi imponere posset , tractatus subsignavit Eucharistiæ Vino. Invenerunt etiam varia falsi nominis miracula ad probandam realem Corporis & Sanguinis Jesu Præsentiam. PASCHASIUS modo productus , primus fuit , qui hac methodo sententiam suam tueri cœpit , illum sunt sequuti innumeri in sæce hac & sentina seculorum viventes Ductores & Doctores Ecclesiæ cæci ac spurii.

Seculo X. Licet Transsubstantiationis vesanum dogma majores vires sumserit , tamen controversiæ in præcedente Seculo agitatae quieverunt , cum utraque dissentientium pars liberum relinqueret alteri , utrum sententiam receptam mutare , utrum retinere mallet. Multi reperiiebantur , qui Corpus & Sanguinem Christi naturaliter & revera in S. Cœna adesse statuebant , æque multi , qui nihil certi & definiti heic decernerent , & non pauciores , qui corpus Servatoris plane abesse , & nonnisi quodam mentis motu accipi judicarent , minime tamen sese invicem ideo hæreseos aut falsarum opinionum accusarunt. Exemplo esse poterit Anonymus ille , quem citavit Jesuita P. CELLOTIUS ; postquam enim discrepantes de S. Cœna opiniones enarrasset , illos qui eas fovissent neque ut Hæreticos aut Innovatores accusat , neque adversus eos vel leviter debacchatur , sed placidus solum addit : *Quod me attinet , altius assurgere haud allaborans , simpliciter contentus sum credere , Corpus Jesu Christi vere in Eucharistia adesse.* Nec hoc tamen , ut putem , prudentiæ , virtuti & moderationi hujus Seculi , sed defectui potius rationis & doctrinæ , qui effecit , ut dissen-

tientes

tientes aggredi nec vellent, nec valerent, adscribendum erit. Vitio etiam temporum, Episcoporum incuria, Sacrificulorum avaritia, invalescente superstitione & errore de Purgatorio, & liberandis ex eo per iterata missarum solemniam animabus, accidit, ut missarum solitariarum numerus & autoritas cresceret, nanciscereturque Defensores Episcopos, Cardinales, Pontifices denique ipsos, ut ostendit pluribus CALIXTUS *de Missis Solitariis*.

Seculo XI. orta est Controversia BERENGARII, qui, cum transubstantiationis contradictorium dogma concoquere nequiret, BERTRAMI & SCOTI ERIGENÆ sanam sententiam defendere perrexit, at hoc facto tot sibi excitavit Inimicos, ut tandem metu supplicii coactus subscripserit Confessionem crassis his terminis consignatæ: *Corpus Christi sensualiter Sacramento inesse & in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri*; Sed & rursus vi veritatis impulsus retractavit, non semel solum, sed bis, terve, quo & factum est, ut illum BARONIUS vocarit *cariosum Hæresiarcham, sæpe falsa pœnitentia eludentem Ecclesiam*. Item, *toties lapsum ac nefandissimum Hæresiarcham, qui vix Laica Communionem, in exitu vero magna misericordia dignus haberi potuisset*: Licet revera hoc BARONII Judicium, ut & omnis, quam passus est BERENGARIUS persecutio, partium studio & livori sint tribuenda; Eum enim Virum fuisse ingenti cætera pietatis & sapientiæ fama clarum, constare potest vel ex solo Epitaphio, quod monumento ejus insculptum his inchoatur;

*Quem modo miratur, semper mirabitur Orbis
Ille Berengarius non moriturus obit.*

Decretum & hoc Seculo sanctis, si Diis placet, Patribus Romæ fuit, ne unaquæque gens Deum sua Vernacula coleret, sed ut Latinus Sermo ad omnem cultum, Sacram quoque adeo Cœnam, licet plebi ignotus, ubivis adhibeatur. Temporibus etiam LEONIS IX. Azymorum usus fuit introductus. Tandem & hac ætate Latini imitari cœperunt ritum a Græcis Seculo, ut monuimus, VII. jam receptum circa Elevationem Sacramenti, propter rationes easdem, quas Græcis hic mysticas solas fuisse jam dixeramus, quod patere poterit ex Versibus HILDEBERTI sequentibus.

*Presbyter idcirco cum verba vertitur ad illa,
In quibus Altari gratia tanta datur,
Tollit utrumque manu, cum fit communibus Escis
Altior, & quiddam majus utrumque ferat.*

Et ex illis HUGONIS de S. Victore, qui, Sacrificator ait, in altum tollit Hostiam, eamque denuo deponit, ut elevationem Corporis Jesu in crucem, ejusque sepulturam indicet.

Seculo XII. paulatim introduci cœpit Sacramenti Adoratio: Per X. certe priora Secula nulli obtinuerunt ritus ex eorum numero, qui hodie, cum Sacramentum adoratur, obtinent; unde constans & indubitatum est, nec ita dicti Venerabilis obtinuisse adorationem; Nullam certe vidisses inter communicandum genuflexionem, communicabant ad Altare seu Sacram Mensam stantes; Nullam observasses Sacramenti expositionem in necessi-

cessitatibus publicis; Nullam ejusdem circumge-
stationem, nec iis temporibus, in quibus Eccle-
sia non solum plena fruebatur libertate, sed in
cultu etiam publico prolixa utebatur pompa, &
fastu summo; Non animadvertisses foeminam aut
puerum ad ægrotos Sacramentum deferentes, illud
adorandum proposuisse aut propter euntibus, aut
ipsis ægrotis; Liberum contra ubique fuisse per-
spiceres foeminas illud involvere linteo, seu asportare
domum, illoque uti pro temporis circumstantia aut
ante, aut post Cœnam, nulla adorationis aut cul-
tus testificatione: Ast hoc Seculo sensim sensimque
omnes ritus ad Sacramenti adorationem promo-
vendam fuere dispositi, præprimis Seculo ad finem
vergente; prostat ex. gr. Decretum *Archi-Episcopi
Canterberiensis*, in quo statuebat, ut sacerdotes,
quoties Sacramentum portarent ad ægrotos, id fa-
cerent ipsi vestibus induti sacerdotalibus, magno
adeo Sacramento convenientibus; ut Lucernam
præferri curarent, nisi impedirentur pluvia, aut
viarum difficultatibus. Hoc ævo conditum quo-
que est ipsum barbarum *Transsubstantiationis* nomen,
ut barbara, jam per tria Secula obtinens & re-
cepta de mutatione insensibili & invisibili sacro-
rum Symbolorum sententia, barbarum etiam ha-
beret in vesanorum, qui eam assererent ore, quo
exprimeretur terminum; & primus ejus Inventor,
ut ALBERTINUS in elaborato suo de *Sacramento
Eucharistiæ Libro* observat, fuit STEPHANUS *Epi-
scopus Aduensis*. Tandem circiter hoc Seculum
quoque in quibusdam Ecclesiis, absque publica
Concilio alicujus autoritate privato ausu, propter
Periculum, (quod per tot Secula nemo hæctenus
viderat, ut ajebant illuminati ætatis ejus Præsules,)

Effusionis & Erroris, sub una saltem specie communicandi consuetudo paulatim invec̄ta est, ne simplices crederent totum Christum sub altera specie non esse: Primo autem statim dare incœperunt plebi frustulum Panis poculo intinctum, aut sorbere eam fecerunt vinum per fistulam, postmodum vero fœci plebis calicis usu plane cœperunt interdicere.

Seculo XIII. Cultus & Adoratio Sacramenti, lente adhuc Seculo præcedente progressa, plane invaluit. *ODO Parisiensis* primus ordinavit, ut populus frequenter admoneretur, quo flecteret genua coram Corpore Christi, ceu coram Domino & Creatore suo, quoties ipsum prætereuntem videret. *Synodus Parisiensis* dein Sacramenti adorationem expressis verbis præcepit, & **HONORIUS III.** confirmavit statuendo, *informandam esse Plebem, ut flecterent Genua, quoties in Sacrificio Missæ Elevatio fieret*; quo & factum est, ut magis magisque eo usque fuerit aucta, quoad vulgare evaserit Sacramentum Deum & Dominum suum vocare, quod vel ex solo illo Disticho, quo *Decretalis Horiana Glossator*, referente **DALLÆO L. VII. de Cultibus Latin. C. XIX.** obviam Eucharistiam flexo poplite salutari voluit, abunde elucet; illud enim sic habet.

*Salve Lux mundi, Verbum Patris, Hostia vera,
Viva Caro, Deitas integra, verus Homo.*

GREGORIUS IX. postmodum addidit, ut tintinnabulo clangerent ad elevationem, quo audiens quivis sonitum in genua procideret illico, jungensque manus Hostiam adoraret. Leges has
omnes

omnes pro adoratione latas hi aliique insuper confirmarunt miraculis, aut frivolis potius fabulis: Vel bestias brutas adorare hostias fixerunt. Sic enim juxta hos, Asinus ANTONII famigerati *de Padua* potius hostiam adorare, quam sæno sibi oblato, licet per triduum fame maceratus, vesci maluit. Ovicula Sancti FRANCISCI ulterius adhuc processit, ad primum enim tintinnabuli sonitum ad elevationem hostiæ edi solitum, continuo se in genua projecit adoratura. Imo alii exinde varia superstitiosa propullulare fecerunt instituta, quibus panis putatitius Deus honoraretur: Extruxerunt nempe ædículas splendidas ejus domicilia, accenderunt ipsi lucernas, deduxerunt regia pompa per vicos. Quidquod URBANUS IV. anno hujus seculi LXIV Superstitionem in summum hac in parte evexit apicem, muliercularum quarundam instinctu, quæ se divinitus edoctas somniarant, Festum Corpori Christi dicans, & publice id singulis annis celebrandum decernens. Oh quid non mortalia pectora cogis cæca superstitio! Nemini certe mirum videbitur, si dicamus, edita hæc, fictasque fraudes detrimento maximo Christianæ Religioni fuisse, & detinuisse quam plures, quo minus Christi sequerentur castra; notum juxta cætera est AVERROIS docti illius *Philosophi Saraceni* dictum: *Quandoquidem, ajebat, comedunt Christiani, quod colunt, sit Anima mea cum Philosophis.* Aevo ulterius etiam hoc, in *Concilio Lateranensi* anno MCCXV. habito, ab INNOCENTIO III. Decreto fuit statutum, ut Transsubstantiatio inter articulos ab omnibus firma fide credendos referretur. Et tandem quoque orti sunt, ut ipse BONA, & alii saniorum e Catholicis Scrip-

ptori-

ptoribus conqueruntur, detestandi illi abusus, quibus celebrabant *Missas Siccas & Nauticas*, quæ fiebant absque consecratione & sumptione Corporis Christi a mare navigantibus. *Missas* item *Bifaciatas & Trifaciatas*, in quibus plures *Missas*, ex singulis quasdam partes recitantes, conjungerent, quo pluribus pro se sacrificium offerri cupientibus satisfacere, & plura pro unico sacrificio stipendia mereri quirent.

Seculo XIV. Uberrima superstitionum, ævo elapso prognata seges, ad medium seculum usque inconcussa floruit: Post medium seculi vero *Johannes WICLEFUS*, vir ingenio æque ac animo magno præditus in Anglia sub EDUARDI III. regno tentavit Reformationem, & juxta cætera rationi maxime repugnans Transsubstantiationis Dogma, sacrificium idololatricum *Missæ*, *Communionem* sub una specie & sacrilegam *Adorationem Hostiæ* impugnavit, infelici licet successu, utpote palinodiam ex parte canere coactus. In Bohemia quoque cum scripta *WICLEFI* eo essent perlata *Johannes HUSSUS* adversus *Communionem* sub una specie palam mutire ausus est, exstat enim ejus opusculum: *An expediat Laicis Sanguinem Christi sumere sub specie Vini.*

Seculo XV. in *Concilio Constantiensi* subtractio calicis fuit publice decreta, etiamsi agnoverint sancti congregati Patres, Christi Institutionem aliam fuisse, magis tamen apud ipsos valebat autoritas illorum Patrum, qui, ut aiebant, *rationabiliter introduxerint sub una specie communicandi consuetudinem*, quam itaque pro *Lege* habendam, & qui
 contra

contra mutirent, tanquam hæreticos arcendos & graviter puniendos statuebant. Ab eodem Concilio ob decretam Hæresin de Communione sub utraque *Job. HUSSUS & HIERONIMUS Pragensis* vivi, prior 15. diebus post edictum q. ex tripode pronuntiatum, posterior anno elapso, nefando & inaudito injustitiæ exemplo, fracta solenni & publice ipsis data fide, ultricibus a superstitione & dominandi libidine incensis flammis fuere combusti: Quod crudele, & judicante *MOSHEMIO, Prædonum potius, quam integrorum Judicium Conventu dignius factum*, occasionem subministravit tristibus postea *Hussiticis, & Bohemicis* turbis, & per integros tredecim annos protracto bello, in quo inaudita ab utraque belligerantium parte, immanitatis data fuere specimina.

Seculo XVI. quod, ut cuivis, qui in Historia Ecclesiastica haud infans est, constat, Reformationis seculum fuit, errores hactenus per aliquot secula circa Eucharistiam publice ubique recepti sensim sensimque fuere sublati, atque ab Ecclesiis Protestantibus, in *Germaniæ, Helvetiæ, Galliæ, Angliæ, Belgii* urbibus & provinciis, publica ab Ecclesia Romana facta est Secessio, postquam in Concilio Tridentino Anathematis fulmen in omnes illos fuit vibratum, qui non agnoscere vellent, Sacrificium Missæ esse propitiatorium, & pro vivis & mortuis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere; postquam & in eodem sacerrimo confessu absoluto & irrevocabili adeo decreto, Calicis usus, contrariantibus licet *Imperatore, Rege Galliæ, Duce Bavarie*, aliisque fuerit proscriptus, ut ab hoc tem-

pore

pore nulli laico liceat poculi usus , nisi forsan immediate post consecrationem subita morte extinguatur sacerdos , & periculum sit , ne Sacramentum incidat in manus hæreticorum , quo in casu unico liberum est laico , illud integrum deglutire : Quod enim alias in *Belgio* , in nostra etiam *Helvetia* & alibi Vinum porrigunt post assumptum Panem laicis , haud est consecratum , sed solum commune , ideo datum , ut eluatur os , ne forte mica sacri corporis , adhærescens dentibus , remaneat : Ut & ab hoc tempore celeberrimi Ecclesiæ Romanæ Doctores de decreti infallibilitate fuerint adeo persuasi , quo dicere haud dubitarint : *Sub utraque specie communicare , esse revera , se damnare velle : Item , in Laicis esse Inspirationem Diabolicam , de eo modo cogitare.* Felix etiam hoc respectu dulci Patriæ nostræ illuxit sydus. Exortus est ille nunquam satis laudandus Heros ZVINGLIUS , cujus pro emendanda Religione tantus arsit in pectore zelus , ut disputationibus ac concionibus suis rem eo adduceret , ut quisque Missæ abominationem agnoscere edoctus , ad illius abolitionem lubens manus daret , magistratusque cum plebe universa , de S. Cœnæ institutione & vero usu satis instructus , anno MDXXV. ejus sacrificium idololatricum , cum omnibus ei cohærentibus in urbe & agro re ipsa abrogaret , & Sacram Cœnam ad primævam sanctam suam simplicitatem restitueret.

Beatum adeo quam maxime esset deprædicandum hoc seculum , nisi deplorandæ , inter Communes Reformatores *Saxones , Suevos , Helvetos , Wyrtenbergios & Palatinos* obortæ essent controversiæ , nisi lis excitata sacramentaria , cujus primus
motor

motor exstitit CAROLOSTADIUS, quæque dein inter LUTHERUM, ZUINGLIUM, OECOLAMPADIUM, alios, honeste primum & civiliter fuit gesta, sine ullo partium aut privatorum affectuum studio; postea vero ab aliis hinc inde, summa animorum exacerbatione continuata, conquisitis & detectis ab utraque parte dissentientium erroribus, acerbitatibus, scandalis, quæ oblivione potius sepelire æterna, emollire vel corrigere decuisset, si decertantium animi, fervoris æstu in transversum haud acti, ex renovandæ Religionis, nil, nisi pacem, amorem & animorum fraternum nexum spirantis & suadentis egissent & scripissent principiis. Ab omni parte hinc inde graviter fuisse peccatum res confessa manet, & suæ confessionis doctores excusare velle, ut JURÆUS CALVINUM excusare tentavit, dicendo: *Sty. lum illum* (acerbum scil. convitiorum ingratum odorem spargentibus floribus sparsum) *scriptoribus ejus ævi fuisse familiarem; parum ipsis fuisse, vocare Canes, Asinos, Mulos, imo & Dæmones, quoscunque Adversarios, non solum diversæ, sed ejusdem Religionis; mihi sane videtur, amoris Gentis suæ & antecedentium Majorum plusquam convenit indulgere & nævos excusare velle, quos ipsi detestati fuissent, si scripissent sedatiores, & ipsis e plusquam cimeriis tenebris recens emeris, omnes errorum dispulsæ fuissent nebulæ.*

At tamen in mediis his controversiarum Eucharistiæ fluctibus haud semel a diversis, quos grave dissidium pungebat & angebat, quique cum FABRITIO CAPITONE, ut mitterentur contentiones, & cogitaretur de Usu ipsius Cœnæ, optarent

Pacis

Pacis Consilia fuere proposita, unde & PHILIPPO Hassiæ Landgravio impellente institutum fuit *Colloquium* illud *Marpurgense* inter ZUINGLIUM & LUTHERUM præprimis habitum, cujus exitus licet haud in omnibus fuerit exoptatus, id tamen effecit, ut utraque pars mutuam charitatem præstare, Deumque sedulo invocare, quo omnes per Spiritum suum in vera de S. Cœna sententia confirmare velit, fuerit pollicita: quibus tamen promissis haud diu stetit, ad orcum detrusa enim, quæ visa fuit, in lucem statim revocabatur ^{Epis}, exhibitæ sunt non multo post diversæ Confessiones a se invicem discrepantes, excitata *Formula Concordiæ Wittenbergensis*, qua, cum illi subscribere recusarent Reformati complures, collapsa rursus, vehementius quam antea denuo recrudit Bellum Sacramentarium, & protractum duravit in Seculum statim subsequens XVIIum.

Hoc tentata rursus reiteratis vicibus fuit Conciliatio Lutheranos inter & Reformatos: Proposita a diversis pacis amantibus pacis Consilia, ab aliis acerbe statim rejecta: Institutum hoc sine *Colloquium Lipsiense*; suscepti a Celebratissimo illo DURÆO labores maximi, itinera molestissima, sed quo hæc omnia successu, ordinario eheu, i. e. nullo. Frustra & hic laboravit GEORGIUS CALIXTUS Academiæ Juliæ Theologus, dum enim aliis Pacis studium suadet omni nisu, sibi metipse se bella, jurgia, accusationes & contentiones concitat, & autor ac parens ita dictorum *Syncretistarum*, pacem cum dispendio veritatis diviniæ molientium, rigidis & odio Theologico animatis videtur. Sisyphum adeo hoc Saxum per
integrum

integrum hoc Seculum frustra fuit volutum, & eheu Seculo, in quo vivimus XVIII. dura nobis illud adhucvolvendi incumbit necessitas, resque in eo sunt statu, ut de fraterna & integra animorum conjunctione ferme sit desperandum. Præstantissimus ille & inclytus PFAFFIUS quidem ante viginti circiter annos, una cum aliis quibusdam Viris Eruditis pacis proposuit consilia, sed alii sese illico & scriptis & factis conatibus hisce laudandis opposuerunt, ac ita cœperunt tumultuari, ac si Hannibal esset ante portas, Deique causæ minarentur interitum, qui de pace saltem cogitent.

Atqui hæc quidem, quæ hucusque disceptata sunt, speciminis loco esse possunt, ex quo constet, ac sole meridiano clarius pateat S. Cœnæ usum per omnem Seculorum decursum ininterrupta serie continue obtinuisse. Licet enim fatendum nobis sit, diversa dogma hoc sacrum expertum esse fata, hominesque plus æquo semper novaturientes, mirum quantum illius sæpe sæpius permutasse ritus; licet & inficias iri nequeat, veterum primos Doctores opinando plurimum circa illud variasse & dissensisse, ut & hodiernum dissentientes, singuli pro sua opinione e Patrum scriptis desumere queant magis vel minus pugnancia loca; cum enim nondum exortæ essent controversiæ, nec Patres fuerint Prophetæ, qui tales orituras præviderint, securius certe de hoc articulo sunt loquuti, unde limate & egregie certe BAILLIUS hac de re alicubi; *Patres, inquit, tam diversimode loquuti sunt de Eucharistia, ut Expressiones eorum possint comparari Phænomenis cœlestibus. Hæc Physicæ Pars maxime dubia est, & Conjecturis obnoxia;*

quot *Quæso!* conduntur Systemata, ut horum Phænomenorum Ratio detur? Et quod mirum est, omnes istæ Hypotheses defenduntur ea saltem cum differentia, ut quædam maiorem, quædam minorem habeant Probabilitatem; Dogma Patrum de Eucharistia eandem sortem nactum est; non cognoscuntur nisi ejus Phænomena i. e. Phrases diversæ, quas in Libris suis nobis transmisere, eoque res tota redit, ut inveniamus sensum, his Expressionibus involutum. Hoc ut fiat in Partes eundum est, Hypothesesque formandæ. Una ex his est Transsubstantiatio, alia Impanatio, denique alia qua Figura defenditur, possuntque omnia hæc Systemata defendi, si modo Eruditione Ingenioque quis sit instructus ad Rationem omnium horum Phænomenorum dandam, & quæ sequuntur. Tamen hoc dogmatis præstantiæ & veritati quicquam obesse posse, quenquam concludere velle haud existimem; Id saltem, si quid conijcere valeo, demonstrat; S. Cœnam esse Riturum Sacrum in quo explicando, ut pulchre celeberr. PFAFFIUS non est determinatione mathematica modus præsentia designandus, aut anathematis mus contra dissentientes condendus, nisi ii contrariis opinionibus Salvatoris institutum plane subruant. Manet ergo instituti veritas, & continuus Cœnæ apud omnes, a primo institutionis ejus tempore ad nostram usque ætatem, usus, qui invictum, quod paucis & primis, ut ajunt, lineis nobis probandum adhuc incumbit, pro Veritate Religionis, cujus est Sacramentum venerabile, præbet argumentum.

Quod S. Cœna a Christi ævo ad nostra usque tempora continue fuerit celebrata, id primo invictè probat; Jesum revera vixisse & præcipuum hoc
hoc

hoc fidei suæ condidisse Symbolum ac Sacramentum , consequenter Religionem , quæ ab ipso tradita perhibeatur , non pro vera venditari sub ficti Autoris nomine , sed illam Jesum re ipsa habere Doctorem , qui eam amoris sui firmissimo firmarit ipse Signaculo & Sigillo : Nisi enim Jesus vixisset , & ipse fuisset institutor Sacri hujus epuli , qui potuisset fieri , ut per omnem seculorum decursum in ejus memoriam fuisset celebratum. Num dicemus ? Omnes , qui a Christo nomen semper habuerunt , primævos , veteres ac recentiores sine discrimine quosvis , tam stolidos ac vesanos fuisse , ut celebrarint per traditionem omni fundamento destitutam , filii a parentibus continua serie in errorem inducti , epulum , in memoriam hominis , qui nunquam plane existerit , merum adeo fuerit Phantasma , figmentum cerebri , & purum nihil ; absit , ut de omnibus , qui abhinc ad Christi usque tempora per tot secula vixerunt , majoribus nostris abjecte adeo sentiamus , quasi se ita faciles decipi ab antecedentium singuli grege fuerint passi. Cum adeo constet Christianos omnes Eucharistiam celebrando semper in ea fuisse persuasione , se actu hoc recolere Memoriam Jesu , qui vixerit olim Ritus Sacri Autor , simul quoque constat , Jesum revera vixisse. Autoritatem & egyptemet antecedentium in dictis præsertim , interdum & factis haud unice æstimandam duco , utpote qui veritatem magis sequendam existimem , sed si autoritati accesserit probabilitas & perspicuitas rei , argumentis innixa , illam jure maximum pondus habere judico. Vel ipsi insuper hostes Religionis Christianæ testimoniis suis comprobant , Christianos primævos Cœnam celebrasse in memoriam Christi sui , & hoc

ipso, quod & aliis in locis expressis verbis afferunt, attestantur Jesum vixisse, quod certe haud facerent, nisi rei veritate essent coacti: Rem enim omni vi impugnaturus, ne veritatem quidem ejus historicam concedit, si ulla veri specie eam queat negare.

Aut, num dicemus? Forſan Apoſtolos histori-
am totam institutionis Eucharistiæ finxisse. Nemo
certe, cui sanum ſinciput, talia cogitare præsu-
met. Aut, qui primo potuiſſet quæſo fieri? ut
duodecim pauperes & miſelli piſcatores, morte
Magiſtri ſui toti conterriti, qui fatum Doctrinæ a
Crucifixo hoc annuntiatæ nesciebant, in cogitatio-
nem inciderint fingendi institutionem ſepulchra-
lis epuli, & Jeſu ad ejus celebrationem hæc ver-
ba adſcribendi: *Hoc eſt Corpus meum, pro vobis fra-*
ctum; hoc eſt novum Fædus in Sanguine meo: Verba,
in quibus novi & inauditi quid latet; verba, quæ
PAULUS & Evangelistæ cæteri uno quaſi ore re-
ferunt, absque tamen collusione, quod pulchre
ex levi, quod in eorum relatione obſervatur discri-
mine elucet. Secundo, fraus ſi heic fuiſſet adhi-
bita, minime potuiſſet latere, ſed detecta patuiſ-
ſet illico: Tempore enim primo nati ritus nulla
fuit opera ſeſe de veritate ejus historica convincen-
di, agebatur de facto ſimplici, ubi nullus illuſio-
ni locus, ubi vel ſimpliciſſimus falli nequiret:
Quærebatur ſaltem, an Jeſus convenerit una cum
Apoſtolis ſuis duodecim, an Cœnam inſtituerit fa-
talem, memoriam mortis ſuæ & iſtantis rogi?
Quivis hac de re fieri poterat certior, levi ſaltem
inſtituto examine; tale autem revera fuiſſe inſtitu-
tum indubium eſt. Homines ſibi credenda injun-
cta

cta absque prævio examine arripiunt tum de-
 mum, si illa præjudiciis suis haud obstant, cu-
 pidinibus abblandiantur, & hujus vitæ commodis
 inserviant; hunc extra casum difficulter assentiunt,
 & multum egisse putant, si se saltem ad examen
 tentandum determinent, nam sæpe videre recu-
 sant, quod credere pertimescunt, illud inquirere
 timent, metuentes ne convincantur, ac fugiunt
 lucem, statim ac ipsis suboritur suspicio, eam
 sibi nocere posse. Nunc autem Crux Christi Ju-
 dæis fuit stultitia, Gentilibus scandalum, conse-
 quenter & Crucis ac Mortis Jesu in ligno Crucis
 ferali perpessæ Memoriale S. Cœna, tota præju-
 dicatis illorum opinionibus adversa. Præparatio
 ad illam digna, qua Passionum inordinatarum ab-
 negatio, peccatorum serua pœnitentia, propo-
 situm vitæ sanctæ & ab omni carnalium cupidita-
 tum labe puræ, requiruntur, toto cœlo cum
 eorum vivendi consueta ratione pugnabat; quis
 ergo a se impetrare posset, ut crederet, illos hoc
 dogma arripuisse faciles, absque prævio ejus exa-
 mine? Illud examinarunt itaque, & quoniam exa-
 mine instituto arripuerunt, verum certe judicarunt,
 & ex illorum examine ac assensu pro veritate rei
 desumi potest argumentum invictum. Etenim ab
 una parte, examen hoc facile nimis fuit, quam
 ut illud instituentes potuissent falli, ab altera vero,
 arduum nimis & magni momenti, quam ut non
 fuerit serium, rigidum nec negligenter institutum.
 Tertio tandem, si Apostoli heic etiam potuissent fal-
 lere, creditu tamen est impossibile, illos id volu-
 isse. Ex ritu Sacro quem debuissent fingere, fal-
 soque Jesu Autori adscribere, ne minimum qui-
 dem ad ipsos redundasset emolumentum, nec ulla

Religioni, quam traderent, accessisset utilitas, seu cui potius propter suam simplicitatem, varioque alio insuper respectu potuisset nocere, atque haud levi esse impedimento. Illorum mores & tota agendi insuper ratio talis semper fuit, ut ipsos ab omni fallendi proposito toto cælo fuisse alienos in confesso sit, quod tota Christianæ Religionis Apologetarum veterum & modernorum cohors invictis argumentis demonstratum dudum dedit.

Aut, num tandem instabimus? Primos Christianos nimis faciles se ab Apostolis decipi passos, qui crederent, Jesum fuisse S. Cœnæ Autorem, in errorem postmodum & induxisse alios, ac in id deliberato consilio conspirasse, ut Christo suo institutionem hujus epuli sacri falso tribuerent, ne ipsi credulitatis suæ luerent pœnas & risus fierent omnium, qui hac de re unquam inaudirent quicquam. Sed neque hoc ullam veri habet speciem. Ea ætate, qua Christianum esse haud licebat absque summa miseria, qua Christo nomen dantes, vel propter solum nomen Nationibus erant exosi, ac indies omnibus iis expositi, quæ prava imaginatio, superstitio, furor Imperatorum & provinciarum Præfectorum contra illos decernere gloriæ & voluptati sibi duxerat, an vixisse, inquam, ea ætate homines credibile est, quos ita amentia urserit furor, quique adeo sibi fuerint inimici, ut vanæ gloriæ, fictique dogmatis causa sese objecerint potius omnibus miseriis, quam illo caruerint, aut illud fictum esse, seque decipi se passos, fuerint confessi; incomprehensibile sane est, illos lubentes ita in propria sua commoda incurrere, fortunas suas fictionibus sacrificare, & fabulis sibi
 suis.

suisque omnibus adeo funestis consentire voluisse; et si quidam id revera voluissent, impossibile tamen fuisset, quosvis unanimi consensu in id conspirasse: Per omnes dispersi erant nationes, omnium fuerant linguarum, locorum quæ inhabitabant distantia, tristi eorum juncta sorti, ipsis haud permittebat, ut commercia inter se alerent satis familiaria, qua veritatis specie credi itaque posset, illos ad arripiendum & vel vitæ suæ periculo defendendum dogma fictum, conspirasse adeo unanimiter, nisi de veritate & divina ejus origine plena ipsis inhæsisset persuasio.

Continuus adeo per omnes ætates S. Cœnæ usus invicte demonstrat, Jesum vixisse olim, & ejus fuisse Institutorem, cum de eo habeamus omnium, qui unquam fuerunt Christianorum consensum, cum & neque Apostoli illud fingere, neque primi Christiani fictam fraudem propogare, nec voluerint, nec potuerint.

Sed non solum hoc, verum insuper idem pertinax usus & abunde demonstrat, Jesum non fuisse Impostorem, consequenter nec ipsam Religionem, cujus fuerit stator, opus meris fraudibus consutum, & fabulis confarcinatum, ut impostorum dicta, facta, instituta solent. Aut quis, qui res justa animi secum librare scit lance, a se posset impetrare, qui crederet, tot & tot millia imo myriades hominum sana ratione gaudentium, Cœnam hanc fatalem per septendecim jam Secula celebrasse, haud intime persuasos, se non memoriam simplicis hominis demortui, qui cœlitus demissi Doctoris larva indutus, merus fuerit impostor,

sed contra viventis Dei & ex alto Prophetæ recolare? Ego saltem perspicax adeo non sum, ut mente concipere valeam, illos id fuisse facturos, si vel levissima ipsis oborta fuisset suspicio, ejus institutorem fuisse simplicem hominem, morte jam dudum corruptum, imo pessimum, qui se falso Deum fuerit mentitus, impostorem, & si rerum eventus non justificasset ejus verba, & mortuus semel nunquam, ut sæpe prædixerat, revixisset, ac sepulchri circumclusus duro lapide, ejusdem fortis dirrupisset claustra, & obsignatas fores. Fuerunt omni ævo, qui non solum, ut jam dedimus demonstratum, examinarunt, an Jesus vixerit Cœnæ Sacræ Autor, sed & qui severo quoque examine inquisiverunt in ritus hujus naturam interiorem, quid quod in reliquam doctrinam, dogmata, miracula, mores, vitæque rationem Jesu omnem, qui & examine factò fuerunt convicti, vesanos illos esse debere, qui divinam Jesu missionem vellent vocare in dubium, qui ideo de innocentia & sinceritate Jesu persuasi, ejus pro salute peccatorum in crucis ara immolati memoriam, grata semper recoluerunt mente, ea ratione, qua ipse id fieri a suis in ultima Cœna voluit, jussitque. Fuerunt primis enati christiani Seculis, qui medias inter dirissimarum persecutionum & afflictionum procellas, media inter vincula & atræ caliginis carceres, medias inter mortes, memoriale hoc sacrum mortis Sectæ suæ, ut tum temporis vocabatur Confessio Christiana, Autoris celebrarent, qui, ut sibi adeo felicibus esse contingeret, qui possent cultus religiosi Jesu suo hanc præstare partem, quærebant, cum aliter & in publico illud fieri haud liceret, Latibula,
Syl-

Sylvas, Cœmeteria, Speluncas, uno verbo, qui quicquid non paterentur potius, quam ut hunc cœterosque actus religiosos omnes defererent, quorum adeo mentibus certa, rationibus firmissimis fundata inhæsit persuasio, divinum fuisse quem iis venerarentur Jesum. Nulla enim verisimilitudinis specie fortitudo hæc invicta, potest tribui, ut illud a Christi affeclarum hostibus factum fuisse alibi ex professo ostendimus, pervicaciæ, fatuitati, furori, nec etiam præjudicatis a nascendi sorte & educatione prognatis opinionibus, cum capi nequeat, *tantam multitudinem*, ut Celeberr. TURRE-TINI verbo utar, *ad tanta subeunda mala, mera Pertinacia impulsam esse*; cum etiam infinitus pene extiterit Paganorum numerus, qui præjudiciis favorabilibus pro Religione Christiana prorsus non muniti, haud levia contra adversus eam alerent, & tamen ea semel agnita, mori statim potius, quam illam rursus deserere essent parati. Imo fuerunt omnes hi non mera fæx vulgi, non rude modo & ignarum hominum genus, quod alienis solum oculis videre, suis vero cœcutire affolet, sed & frequens satis virorum limati iudicii numerus, aptus rerum pervestigare & cognoscere causas, ut id demonstrare esset nulla opera. Quid quod fuerunt non solum ævis illis, longa temporum intercapedine a nobis remotis, sed & Patrum nostrorum memoriâ, qui æque duras si non infinites prioribus illis acerbiores persecutiones, quas legendo nemo possit lachrymis æquare dolorem, paterentur, saltem ideo, quia nollent sacrum Eucharistiæ epulum alia ratione celebrare, quam ea, qua Christus id fieri iussit; An autem & hos fatuos diceres & præjudiciis præpeditos, qui ex mera per-

vicacia ad ultima quæque usque heic obluctarentur? Minime vero; sed quicquid piæ illæ animæ egerunt, id egerunt plene persuasæ de divina institutionis S. Cœnæ autoritate, cujus morituri ultimam, in Testamento gratiæ perspicue satis designatam, voluntatem violare, immutare & corrigere velle nefas esset, & crimen morte piandum: Egerunt persuasæ de ritus sanctitate, quam nulla idololatræ superstitione maculare fas esset: Egerunt tandem persuasæ sacram hanc Cœnam esse Religionis suæ sanctissimæ insigne eximium, antiquitate sua & constanti Usu venerandum.

Tertio loco denique constans ritus nostri, de quo agimus, usus, pulchre & ad cujusvis convictionem patefacit; Summam Doctrinæ a Jesu nostro annuntiatae, quod ipse nimirum morte sua piaculum & causa salutis factus fuerit omnibus credentibus, quæ per Sacram Cœnam viva quasi imagine adumbratur & repræsentatur, tanquam doctrinam veram, salutarem, constanti Seculorum fide & consensu, in celebratione S. Cœnæ perpetua fuisse conservatam, propagatam & confirmatam; Nec etiam ullam aliam propagandæ & confirmandæ hujus Religionis rationem potuisse excogitari certiore, efficaciore, omniumque ingeniis magis attemperatam.

Quod enim ad primum attinet, illud absque prolixa demonstratione, cuius vel leviter attendenti in oculos incurrit. Aut unde quæso evenisset, ut celebratio hujus S. Epuli nunquam per tot Seculorum decursum fuisset interrupta, si, qui per illas ætates vixerunt christiani, in ea modo fuissent

fuiſſent opinione, ſe ſimplicem ſolum ceremoniam, externum modo nil ſignificantem ritum peragere: Certe quicquid humani ſaltem cerebri ſigmentum eſt, quicquid ad externos modo ritus pertinet, tempore collabitur, ut incepit deſinit, ſtatim ac aliis, qui prioribus ſuccedunt, placuerit antiquos novis permutare ritus. Procul dubio omnibus, quos per illa tempora Chriſtiana Religio habuit Confeſſores, firmiſſime fuit perſuaſum, ſibi externo ritu, propoſitisque in illo terrenis ſignis adumbrari cœleſtia dona, vividis coloribus depingi Jeſu inſtitutoris divini ritus perpeſſam mortem, effuſum Sanguinem, ob oculos poni & manibus quaſi palpandum præberi intenſum ſalvatoris amorem, qui tanta, bono peccatoris, haud recuſarit pati; Hinc lubentes adeo ad divinam hanc ceremoniam adfluxerunt, hinc nullis machinis, ut jam antea monitum, nullis hoſtium technis, ab ejus celebratione ſe abſtineri ac abripi ſunt paſſi, hinc nunquam divinum inſtitutum fuit collapſum, ſed continuo ejus uſu Doctrinæ Chriſtianæ Summa, morte Jeſu complexa; conſervata, propagata & confirmata. Quod & nulla ratione potuiſſet certius, efficacius & aptius fieri.

Non certius; Factum id equidem quoque fuiſſet per ſolum de Jeſu Sermonem & Evangelii præconium, per Scripta & Relationes Evangelistarum & Apoſtolorum; Aſt cum his acceſſerit inſuper adhuc actio externa Summam Religionis adumbrans & repræſentans, procul dubio hæc fidem conſervandi ratio evaſit certior, quam nulla Doctorum Eccleſiæ incuria aut depravatio, nulla injuria temporum potuit pervertere aut deſtrudere. Memoria
et.

etenim alicujus facti notabilis literis quidem conservatur, melius tamen & certius semper, si non sola litera ejus sit testis, sed externum, visibile & palpabile illius quoque proftet signum & memoriale.

Non efficacius; Etenim si parentis, amici, patroni morte dudum defuncti, aut imaginem, aut amicitiae & amoris aliquam relictam tesseram, & sensibile pignus oculis contueor, manibus contracto, annon vividior mihi excitatur amoris sensus, annon vehementius commoveor, quam si simplici & nudo sermone ejus mihi renovetur memoria, quam si quaedam saltem de illo in Scriptis servata legam? Praesens ita quasi mihi ad latus adstat, oculis ipsum quasi usurpo, manibus quasi amplexor, permoveor sic millies magis quam ratione omni alia. Sacra Coena quid autem aliud est, quam viva truculenta nece demortui Salvatoris imago? Panis & vini symbola quid aliud, quam intensissimi ejus amoris tessera? An efficacius ideo quid posset excogitari ad mihi Religionis Christianae totius summam, quae Jesu mors, & per eam parta omnimoda salus est, vividioribus coloribus delineandam, ad me ad mutuum benignissimi Salvatoris amorem permovendum, trahendum, rapiendum, ad doctrinam hanc salutiferam propogandam & confirmandam? Haud equidem putem.

Non denique id ullo modo potuisset fieri *aptius* & *omnium ingeniiis attemperatius;* Ita nempe sunt maximae partis hominum ingenia a natura comparata, ut rebus in externos sensus incurrentibus, visibi-

visibilibus & palpabilibus magis se affici patiantur, quam illis, quæ sola mentis percipiuntur contemplatione. Externa adsunt in S. Cæna signa Corporis Christi fracti & Sanguinis effusi, quivis ergo, non modo doctus & sapiens, rebus, quæ sub externos sensus non cadunt, considerandis aptus, sed & indoctus his contemplationibus haud assuetus, sanæ modo mentis compos, aliquali saltem ingenii vi donatus, in speculum hoc quasi inspicere, & in eo mortem sui Soteris vivis lineamentis repræsentatam, ut unicum suæ salutis medium oculis suis pervidere facile potest. Mediante celebratione sacri hujus Epuli, in omnium non modo piorum, bonorum, honestorum, sed & vel maxime deperditorum animis, in durissimæ cervicis hominibus, desiderium salutis morte Jesu partæ excitari, fidei in crucifixum Soterem igniculi incendi, amor Salvatoris tanta perpeffi inflammari, cupido bonorum per divinum Mediatorem miseris mortalibus comparatorum cieri, uno verbo tota Religionis sanctissimæ Summa per quam commode omnium omnis ingenii hominum mentibus, attemperate adeo insinuari & commendari potest, ut aptius & commodius id certe effectum dari nequiret.

Omnibus quidem hætenus prolatis objicere quis posset: Dari & alias Religiones, in hoc, quo vivimus orbe, quæ & ostendant suos ritus jam per aliquot secula durantes, illorum consequenter asseclas & gloriari simili jure posse, suam Religionem, cujus ritus tam diu vigeant, esse immotæ veritatis, nec imposturæ ac meræ fraudis opus. Lubens quidem largior, dari ritus falsarum Religionum

gionum, qui jam per longum satis tempus durarint, sed mihi contra, ni turpis fallor, facile concedent omnes, tam diversam esse rationem harum Religionum & Christianæ, si comparentur invicem, ut non æque stringenti argumento pro veritate utrarumque exinde concludi queat. Nulla enim monstrari potest Religio, quæ tot, ut Christiana, nacta sit aggressores, inimicos, Inquisitores, si ita loqui fas est, & Examinatores, in qua ideo facilius & citius fuisset detectum, si quid falsi & ficti in ritibus & ceremoniis ipsi fuisset additum. Nullis non obstaculorum generibus indies fuit præpedita, & ab omnis generis hostibus continue oppugnata. Imperatores & rerum domini edictis suis, ut in Christianos eorumque novellam Religionem quam severissime inquireretur, haud semel decreverunt, ac cum edictis & inquisitione nil adversus ipsos valerent, gravissimas contra insontes persecutiones excitarunt, tantaque in illos sævitia, tanta immanitate sævierunt, ut vel rigidos ille siles, solidumve in pectore ferrum aut adamanta gerat, qui crudelitatis hujus specimina vel fando vel legendo sibi temperet a lachrymis. Imperatoribus accesserunt philosophi & viri cæteri eruditione sua inter gentiles conspicui, hi enim omninisu, nascentis Religionis splendorem & veritatem offuscare tentarunt, & cum id rationibus non possent, veritatem rectamque philosophandi viam verterunt in fallaciam, & illos, quos argumentis dejicere nequirent, conviciis & falsis criminationibus vincere sunt aggressi, ac juxta innumera reliqua S. Eucharistiæ divinum ritum infamare studuerunt, impuro ore asserendo, Christianos in his suis sacris clandestinis, tirunculi infantis cæsi carnem

nem edere & sanguinem bibere , ac Thyestæis Epulis turpiter pollui. Hos denique adjuverunt in universum omnes Judæi pariter & Ethnici, cum integra sibi connata præjudicatarum opinionum , affectuum & vitiorum caterva , de externo Messiaë Regno , de rituum & ceremoniarum splendido apparatu , de humana sapientia & subtilitate , quæ omnia , ut jam paulo superius monuimus , humili Christi & ejus asseclarum fortunæ , Cruci hujus Doctoris & ejus nil nisi sanctam simplicitatem spiranti *Μνημοσύνα* S. Cœnæ quam maxime adverbantur.

Monstret nunc quis Religionem ex falsarum agmine , quæ tot tantaque experta fuerit adversa , nec tamen falsitatis potuerit argui , nulla certe datur. Aliam prorsus falsæ Religiones cum rituum suorum ficto apparatu habent suæ durationis causam , Vim nempe externam , Arma , Technas , Machinas diversi generis improbas. Impostorum certe opera corruunt , nisi his continue mediis roborentur , ac suffulciantur. Paganismus Imperatorum Romanorum & Principum præsidiiis adversus Religionis Christianæ augmenta sese tuitus est , & hodiernum adhuc ignorantia , cæcitate & plus quam cimmeriis tenebris sustinetur. Muhamedismi lata & diuturna extensio armorum , ut notum , vi & subdolis Magistri artibus omnia debet. Et ut hoc etiam addam , depravatus Cœnæ Usus , Missæ puta sacrificium idololatricum , diu jam cum toto superstizioso ceremoniarum reliquarum apparatu desiisset , nisi continue vi , armis , cæde & sanguine sanctorum fuisset suffultum. Nihil hujus unquam in Religione nostra sanctissima observa-

servatum est, tota Religio & speciatim ritus noster, de quo agimus, sanctissimus sua virtute invaluit, nullis humanis praesidiis adjutus, idem sua virtute permanfit, nullos non adversarios expertus; irruerunt in illum omnes portae inferorum, ab initio Imperatorum tyrannis, Sacrificulorum diaboli furor & Philosophorum convitia, Paparum postmodum inclementia & cucullatorum Monachorum livor, sed frustra; offuscatus enim & corruptus licet per tempus, pristinae tamen rursus restitutus fuit simplicitati & puritati, ringentibus licet, imo frementibus & furentibus inimicorum turbis. Insigne adeo, quod demonstrare oportuit, suppeditat argumentum, quo probari pulchre potest, Jesum divinum ejus institutorem revera vixisse olim; Eundem dein minime fuisse impostorem, cujus opus & institutum, passionum suarum Sacrum Memoriale, tempus destruere quiverit edax, utpote propria virtute permanens & duraturum eo usque, quo ipsi ejus Authori illud rursus adventu suo secundo destruere placuerit; Summam denique Doctrinae Christianae in S. Coena adumbratam, tanquam doctrinam veram & salutarem, constanti seculorum fide, fuisse hoc adhibito ritu conservatam, propagatam & confirmatam, nec ullam aliam ejus propagandae & confirmandae rationem fuisse certio rem & aptiorem.

O si nunc potis fuisset Novum hoc pro Divinitate sanctissimae nostrae Religionis Argumentum dignis modis illustrare! Quo omnes, qui Christo nomen dant, agnoscerent S. Coenae & hoc quo illam representavimus respectu, magnam deberi venerationem. Utinam omnibus bona sua nosse & tanto Coeli & divini Soteris munere, quantum hoc S. Epulum est,

est, condigne, ut ipse iussit, frui ac uti datum sit! At talia vivimus eheu tempora, quæ exulcerata & ferrea adeo sunt, ut quicquid Sacrum sit, profanitatis longe lateque grassantis sit expositum insultibus, ut sacer proin quoque hic ritus publicis & privatis circa ejus administrationem & fruitionem abusibus, et defectibus, qui non furtivi sunt, sed præter oculos eunt, hinc inde violetur, et ejus primæva facies turpiter hæud unis maculis sit defœdata. Liceat quosdam abusus et defectus quos e medio tollere forsitan hæud incongruum esset, vobis Aud. Ampl. Honor. paucis adhuc verbis ob oculos ponere.

Non distribuitur S. Cœna, quod mihi maximum semper hac in caussa malum visum fuit, cum satis sufficiente circumspeditione, nec inde arcentur, quod fieri tamen oporteret, illi, quorum malitiam ultra modum procedere publico constat; sed proh dolor! omnibus promiscue ad Augustum hoc Sacramentum patet aditus; digni, indigni, nocentes et innocentes, pii et flagitiosi, senes, juvenes, noti et ignoti æque omnes admittuntur, ac quisque sibi, suæque relinquitur conscientiæ: Disciplina Ecclesiastica, quæ olim sub *Excommunicationis* nomine floruit, una cum Vita Christianorum, depravata jacet: Ejus apud nos quædam saltem obtinet species, quæ vero potius Civilis est, quam Ecclesiastica; desertur enim monitoribus asper illico magistratui, qui decernit, quid fuerit etiam a parte Ecclesiæ meritis. Hic etiam disciplinæ gradus exercetur magis erga agri incolas, quam urbis cives. Illi magistratus decreto frequenter ob commissa Mercatoribus furta, aliaque

legibus civilibus interdicta facta in publico cœtu sub pulpito stare damnantur, & sibi a V. D. Ministro publicam censuram inuri pati debent, quibus tum omnis Pœnitentia Ecclesiastica absolvitur, quoque facto ad cœtum pertinent ut antea, labæque omni rursus sunt immunes. Hi vero, ac si privilegium heic accepissent, similisque censura nobilitati civis esset injuria, nunquam similem pœnam subire tenentur, nisi omnibus facinoribus, quæ ne inter gentiles quidem, multo minus inter Christianos nominari deberent, sese commaculaverint, nisi pessimæ notæ sint homines, nisi leges omnes, honestas, pudor omnis clamitent, impunes abeunt, aut ipsis saltem privata censura decernitur, si ad publicam itum fuerit, illa non coram cœtu integro, publica cultus divini hora, sed alio tempore exercetur, ne ecclesiasticæ disciplinæ speciem nimis præ se ferat. Excommunicatio ipsa plane desit: Majoris nomen ne quidem notum est, minor raro adeo exercetur, ut exempla ejus nulla ferme prostent; nemini enim, quod sciam, aditus ad S. Cœnam præcluditur, nisi quatuor mœnibus sit interclusus & sub magistratus potestate. Vel ipsi pagani dignius heic nobis egerunt, a Sacris utpote suis arcuere profanos & flagitiosos omnes, quod vel ex solis Statii versibus iquere poterit, qui ita modulatur

Adeste

*Di, Hominesque Sacris, procul hinc procul ite nocentes,
Si cui corde nefas tacitum, fessique senectus
Longa Patris, si quis pulsatae conscius unquam
Matris, & inferna rigidum timet Aeacum Urna.
Insontes castosque voco.*

Cum

Cum nos contra ad Sacra nostra, quæ ipsa sunt Sanctitas, imo sublimis Sanctitas, & sancta Sublimitas, Mysterium pietatis adorandum, admittamus quoscunque *βεβήλους*. Regerere quidem quis posset in tanta ad Sacram Synaxin accedentium multitudine aliter id fieri non posse, bonos esse mixtos malis, sanctos interspersos profanis, neminique præ fronte scriptum, quis aut cujas sit. Ritus porro in nostra Ecclesia ad S. Coenæ administrationem adhiberi solitos ita esse comparatos, ut mali & famigeratissimi peccatores se faciles, ne inquirantur occultare possint. Facile & ego concesserim, hac, quæ apud nos obtinet, consuetudine, difficulter heic aliquid præstari posse, at quæstio oritur, nobis heic haud decidenda, an non alii ritus, qui in plurimis Protestantium Ecclesiis, etiam in agro nostro, aliquali cum discrimine obtinent, hoc alioque respectu conducibili-ores essent: Jam consueti enim diversis incommodis obnoxii, multis cordatis viris jam dudum visi sunt. Si singuli Mensam Sacram incircumstantes, sedentes, vel saltem transeuntes, qui diversi alibi heic obtinentes ritus sunt, accedere deberent, liceret Ministro quemvis in os intueri, multi inde aperte facinorosi sua sponte emanerent, metuentes, ne publica sibi inureretur nota, juberenturque incommunicati abire. Quivis prorsus ignotus, qui sæpius, etiamsi ater an albus sit nesciatur, Mysterium hoc participat, posset arceri, usque dum sese fide dignis literis testatoriis, cujas esset, Ministro probasset, quod laudabili prorsus consuetudine Ecclesiis Gallicanis in Belgio alibique in usu esse observavi. Si et insuper illis, qui manibus suis lora regiminis ecclesiastici tenent,

placeret disciplinæ ecclesiasticæ rigidiores quosdam gradus pristino suo usui restituere, & Excommunicationis laudabile institutum nova vita donare, haud parum forsan id, ad tollendas S. Cœnæ Profanationes posset juvare. Novi quidem pulchre illud amplius in omni sua extensione, qua olim obtinuit, nostris temporibus exerceri nequire, dum *si hodie*, ut celeberr. PFAFFII verba heic mea faciam *omnes, qui habituali peccati dominio laborant e cœtu Christiano essent ejiciendi, vel ipse tandem cœtus ex cœtu esset ejiciendus.* Novi & illas rationes, ob quas beati Majores nostri, qui tamen, ut ex verbis, quæ in *Confess. Helvet. Cap. XV.* leguntur, patet, illud haud prorsus adversabantur, idem ad novum exercitium revocare haud sunt aggressi, illas etenim prolixè deductas legere datur apud *Benedictum ARETIUM* Theologum Bernensem haud incelebrem, *Problematum* ejus, loco CXII. Ast tamen horum omnium pondus haud tantum esse judico, ut evincere prorsus queant, ex sapienter revocatis quibusdam rigidioris Excommunicationis & primævæ Disciplinæ Ecclesiasticæ gradibus nullam posse expectari ad promovendam sanctiorem & salubriorem S. Cœnæ celebrationem, utilitatem, illosque certe frustra nulloque cum successu, licet revocatos, adhibitum iri.

Non celebratur dein, quod mihi heic quoque desiderandum videtur Communio satis frequens. Primorum temporum Christiani, mortis Magistri sui multo frequentiore reolebant *Ανάμνησιν*, per trium priorum seculorum decursum singulis diebus dominicis S. Communionem sumere tenebantur omnes. In Ecclesia *Carthaginensi, Romana* et quibusdam aliis singulis diebus celebrare S. Eucharistiam erat

con-

consuetum. Aetate TERTULLIANI S. Cœna celebrabatur quoque in Anniversariis Martyrum Festis, et per quinquaginta dies inter Pascha & Pentecosten, quæ continua serie continuata erant Solennitas: Omnibus quoque diebus stationariis, quarta et sexta item cujusvis hebdomadis per annum feria. Nunc temporis tres saltem hæctenus in Ecclesia nostra recepti sunt Communionis actus, et ne his quidem omnibus interesse consueverunt tepore turpi languentes nostri ævi Christiani, sed eos sub frivolis prætextibus haud semel subterfugunt. Laudabili quidem conatu Senatus Ecclesiastici membra Magistratus consilio, jussu et authoritate quartum adhuc ex aliquo tempore addere allaborarunt; at hæctenus, ejus nondum acquiri, fato jugiter deflendo, potuit introductio. Quod si vero in causas rarioris hujus S. Cœnæ usus inquiremus, ille forsan jure maximo adscribi poterit defectui zeli pietatis, quo olim primi Christi Confessores immentum ardebant, et a quo, quod nullis sat deflendum lachrymis hodiernos Christianos omnis ætatis et conditionis multum defecisse constat. Aut si nimis durum videatur pietatis zelum Christi hodiernis affectis adimere, ejusque defectum communionis frequentioris intermissæ causam tradere, alia illa forsan dari poterit; Nimia nempe et non satis concocta, si ita fas sit loqui, sacri epuli veneratio, ut et terror hominum mentibus injectus nimius, ob imminens capitibus eorum periculum, si haud rite accederent ad *tremendum Epulum, horrendum Sacrificium, Mensam terribilem*, ut Patribus olim, hyperbolicas loquutiones plus satis amantibus, et recentibus hodie quibusdam scriptoribus et concionatoribus, dictionis elatum genus nimis

affectantibus, S. Cœna dicta fuit et vocari adhuc consuevit. Certe ex hoc fonte infrequentes nostro ævo Communiones deducunt, Illustris TILLOTSONIUS in eleganti *Sermone de Communione frequenti*, & PIERCEUS Anglus in *Tractatu suo de Communione Infantum*, ubi juxta cœtera eleganter: *Annon Dedecus maximum est, inquit, annon indignum factum, quod Communio Sacra in quibusdam locis saltem celebretur semel quovis Mense, in aliis semel sex Hebdomadibus, in aliis semel saltem quovis Mense tertio, in aliis denique semel in integro anni decursu? Quantum hic, quæso! usus distat ab usu veteris Ecclesiæ? Hæc statuebat, ut omnes fideles, qui Templum ingressi ad audiendam S. Scripturæ lectionem, haud assisterent celebrationi S. Cœnæ, ab ejus usu suspenderentur, ceu ordinem convenientem prætergressi. Qualis autem ex hodie consueto usu emanabit fructus? Veneratio quidem Sacramenti, fateor, ast qualis veneratio, quæ terrorem inculcat & turpem neglectum. Talis vero veneratio an respondet fini illi amabili, quem sibi præfixit Salvator, institutum hoc sanciens? Hactenus ille. Licet ego neglectum frequentioris Communionis priori potius causæ, junctæ non satis intellecto & juxta intentionem & sensum Salvatoris explicato Cœnæ Mysterio, (quod malum diverso respectu inter nos grassari pulchre & suis fundamentis ostendit Clar. ZIMMERMANNUS in jam laudata Dissertatione nupera) adscribendum esse existimem.*

Non adhibentur porro ad S. Epulum Panes fermentati, nutritivi, ordinarii, sed panis modo azy-mus, imo ne hiç quidem, sed meræ Oblatæ, quod & a prima Cœnam celebrandi ratione abludit. Licet enim Christus, ut probabile est, ad primam Cœnam

Cœnam adhibuerit Panem azymum, cum illo tempore, quo S. Cœnam instituerat, nullus alius Panis ad manus fuerit, tamen, ut superius a nobis indigitatum est, Pane ordinario Christiani primævi ad Seculum XI. usque constanter sunt usi; & fermentatus etiam ad vitam animale[m] sustentandam communiter adhiberi solitus, aptior certe est ad repræsentandam *spiritualem* illam *animæ nutritionem*, per carnem Salvatoris, de qua *Johannis Cap. VI.* quam leves illæ & tenues Oblatarum particulæ, quæ certe haud verus Panis, sed spuma solum Panis sunt, nostræ Ecclesiæ adhuc ex superstitione Papistica relictæ, cui Hostias seu Oblatas introducere proficuum ideo fuit, quo facilius plebi persuadere possent monstruosam Transsubstantiationem, in qua nil nisi speciem Panis, & mera accidentia, substantia plane deleta remanere, stulti asserunt.

Tandem inter ea, quæ forsan in externis administrationis ritibus in melius possent institui, est: Quod loco prælectionis historię institutionis S. Cœnæ, forsan convenientius esset, inter distributionem sacrorum elementorum adhibere Cantum Psalmorum quorundam, aut Hymnorum Sacrorum, actioni illi congruentium, ut moris in Ecclesia primitiva fuisse ostendit BINGHAMUS jam aliquoties laudatus, & ut etiam fieri adhuc in plerisque Protestantium Ecclesiis consuevit. Ita enim suavi & pio concentu communicantium animi eo facilius, quam simplici historię, jam omnibus satis notæ, prælectione, in pia mentis devotione contineri, & eo fortius ad amorem, laudes & glorificationem Dei & divini Soteris, tam insigne nobis in S. Cœna amoris sui pandentis *Τεκμήριον*, possent excitari, & per *oblectamentum*

Aurium infirmior animus in adfectum pietatis adsurgere,
ut AUGUSTINI phrasis habet.

Sed cum nostrum non sit heic, si nempe medica, quod forte pauci mecum agnoscent, requiratur manus, mederi, aliorumque, qui immensum plus vident & valent, humeris hæc imposita sint onera, diutius his haud immoramur, sed vobis, Patres Conscripti, Ecclesiæ nostræ Proceres utriusque ordinis primi loci! totum hoc opus et integrum relinquimus, omnique vos prece efflagitamus & obtestamur, ut omni vestra, qua polletis, polletis autem immensum, mentis ingeniique Vi eo nitamini, ut Sacræ nostræ Religionis inæstimandum hoc *κειμήλιον* S. Cœna, unde Veritas & Divinitas ejus sole meridiano clarior elucet, pristino restitatur decori, ut abusus & defectus ejus removeantur, tollantur, aboleantur, usus contra stabiliantur & firmentur, omniaque ad majorem Ecclesiæ ædificationem & summi Numinis instituantur gloriam.

Cæteros omnes, quos aliquis sanctæ Religionis amor, aliqua æternæ salutis cura tangit animæ, monemus, rogamus, obtestamur, ut ipsi, quavis suo loco, videant, qui S. Cœnæ privatos abusus, publicis longe frequentiores, tollant e medio, quo ei suus rursus constet honos, redeatque primæva innocentia. Utamur S. Cœna nos, qui jam peccatis nostris misimus nuntium, & rite resipuimus, ut *Sacramento confirmationis*, quo in bona mentis firmi perstemus constitutione; Nos vero, quibus gratia hæc salutaris & verticordis nondum affulsit, quibus veterem hominem nondum exuere
cœlitus

cœlitus datum est, ut *Sacramento præparationis*, quo impellamur & excitemur, ut in posterum seriam agamus pœnitentiam. Omnes caveamus sedulo, ne imparati & impuri sacræ accedamus Mensæ, quo minus fiamus rei Sanguinis Salvatoris, quo minus inter Altare Mensæ Dominicæ & Aedem sacram, ut olim *Zachariæ* a nefariis Judæis factum legimus, summum cœli Prophetam Jesum nostrum denuo *neci demus, crucifigamus, & pedibus conculemus*, ad nostram perniciem & æternum irreparabile damnum, ut Apostoli ipsissima verba habent, *preciosum ejus Sanguinem*. Præparemus nos itaque ad sacrum hunc actum rite adeo, ut illud in imperfectione, quacum continue nobis colluctandum est, fieri potest, seriam agamus pœnitentiam peccatorum ante commissorum, firmumque stet animo nostro propositum, in posterum scœda crimina, pravos animi affectus, peccandi habitus, imo corde eradicandi, morem contra gerendi Evangelio & omni nisu eo incumbendi, ut conditiones fœderis, quod solenni modo in S. Cœna confirmamus, explere continue simus parati. Reliqua, quæ nobis ad dignam præparationem desunt, relinquamus Deo & verticordi ejus gratiæ, hoc sine nobis supplici semper prece implorandæ. Id speciatim observent juvenes administri, qui nimis forte frequentes, ex more in Ecclesia nostra recepto, ad ministerium S. Eucharistiæ adhibentur. Hi certe intento studio & summa præcæteris cura eo debent anniti, ne illotis manibus, impura conscientia Sacra hæc tractent. Cum enim juvenum animi ad res terrenas potius eheu! semper inclinent, quam cœlestes, a rebus divinis continuo sint proclives ad humanas, a bonis æter-

num permanentibus futuri Seculi, ad inanes & perituras hujus ævi quisquillas, ipsis ut plurimum deest debita, quæ totum hominem requirit, præparatio, debita in ipso sacro actu animi attentio, & sincera cordis veneratio: Id ergo agite, o cara Deo Ecclesiæque dicata pectora! in id omnibus viribus allaborate, ut vos in tota vita vestra præstetis consummatos juvenes & veros Dei Nazireos, nullo mortuorum operum & cadaverosi hujus mundi contactu coinquinatos, ut pubem eximiam, regale Sacerdotium & cœleste Peculium, ad quod acquirendum & ab impura mundi fæce separandum, ut crastina nos docebit Festivitas, ipsa de Cœlo se demisit Divinitas, natus & denatus rursus est Jesus Salvator optimus; Ita enim vobis, quoties in Sacro Cœnæ Epulo recolenda erit memoria ejus, qui vos in servitium sibi liberaliter adoptavit, nunquam deerit debita præparatio, nec in periculum venietis unquam, incurrendi, celebrando sacrum actum, vestram damnationem.

Omnes porro non juvenes modo sed & senes, imo cujuscunque status, ætatis & conditionis sumus quilibet, adornemus Jesu nostro, post ritam ad sacram ejus Mensam præparationem, ipsi quoque Mensam eucharisticam, in qua eum laute excipiamus fructibus odorem jucundum late spargentibus, bonorum operum, inter quos præprimis emineat, quantum lenta solet inter viburna cupressus, Caritas mutua, quam & hic speciatim suadet expressio illa divi *Pauli* qua Sacrum Cœnæ Panem vocat *Communionem Corporis Christi*, cum omnes de illo participantes sint *unum capitis Christi Corpus*.

Ultimo

Ultimo tandem videamus , ut digno modo semper grata recolamus mente insignem amorem Salvatoris, quem nobis in sacro hoc epulo exhibet & obsignat. Ah quantum est, quod nos dilexit, imo deperiit dulcissimus Salvator? Quantum est, quod toto corpore nostri caussa sanguinem flevit? Quantum, quod anima & corpore anxietates infernales pertulit? Quantum est, quod incomparabilis hujus dilectionis signa & sigilla, quasi ex carne & sanguine suo confecta, nobis exhibere & in proprias manus tradere non gravatur? Naturam certe dedidicisti, hominem exuisti, & rigidum ferri femina pectus habet, nisi tanto amore, ceu rudente aliquo amoris, imo ænea vel aurea potius amoris catena in amorem mutuum Salvatoris pertraharis, & cum Davide exclames:

*Tot liber toties malis,
Tot auctus toties bonis,
Quo tandem officio tibi
Coner (o Domine!) persolvere grates?
Te festa dape, te prece,
Te Libamine prosequar
Te vitæ columnen meæ
In cœtu populi tui,
Grata prosequar hostia,
Damnatus tibi voti.*

Det interim nobis digne hæc omnia exequi Deus, nosque in tanto opere gratia sua ipse clementer juvet! Fiat!

D I X I.